Rasch, Ioannes

Sophocles quid debeat Herodoto in rebus ad fabulas exornandas adhibitis

COMMENTATIONES PHILOLOGAE IENENSES

EDIDERVNT

SEMINARII PHILOLOGORVM IENENSIS PROFESSORES

VOLVMINIS DECIMI FASCICVLVS ALTER

IOANNES RASCH: SOPHOCLES QVID DEBEAT HERODOTO IN REBVS AD FABVLAS EXORNANDAS ADHIBITIS



LIPSIAE IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI MCMXIII

COMMENTATIONES PHILOLOGAE IENENSES

EDIDERVNT

SEMINARII PHILOLOGORVM IENENSIS PROFESSORES

VOLVMINIS DECIMI FASCICVLVS ALTER

IOANNES RASCH: SOPHOCLES QVID DEBEAT HERODOTO IN REBVS AD FABVLAS EXORNANDAS ADHIBITIS



LIPSIAE IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI MCMXIII

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

PATRIS · MANIBVS

SACRVM

SOPHOCLES QVID DEBEAT HERODOTO IN REBVS AD FABVLAS EXORNANDAS ADHIBITIS

SCRIPSIT

IOANNES RASCH

IENENSIS



CONSPECTUS RERUM.



I. DE RATIONIBUS INTER SOPHOCLEM ET HERODOTUM CONSTITUENDIS.

'*Der Staat des Perikles, die Kunst des Pheidias, die Dichtung des Sophokles, das Geschichtswerk des Herodot von Halikarnass sind die großen Schöpfungen, welche die Gedanken am lebensvollsten wiederspiegeln, die Athen auf der Höhe seiner Macht beseelt haben. Sophokles und Herodot sind auch die typischen Vertreter ihrer Zeit*': his verbis Eduardus Meyer initium fecit disserendi, cum describeret illius aetatis celeberrimae, quae dicitur πεντηκονταετία, cultum atque humanitatem.[1]) quod dictum ut probemus, accuratius si contemplabimur scripta historici et tragici, utrumque omnibus animi facultatibus moribusque mirum quantum inter se adaequatum esse facile intellegemus. nec vero minoris refert ostendere inter hos ambos viros clarissimos etiam familiaritatem consuetudinemque intercessisse artissimam. id autem optime confirmatur, si alterum alterius scripta in suum usum vertisse potest probari. hac enim, qua alter apud alterum valuerit auctoritate vel in litteris, quam apte amborum ingenia concinuerint, quanta cura humanitateque invicem prosecuti sint fetus animi, nostris quoque oculis demonstratur.

A. QUI IAM ANTEA HAC DE RE SCRIPSERINT.

Quid mirum, quod iam pridem viri docti his quaestionibus operam navaverunt? vel veterum grammatici tales consensus suspicati et professi sunt. namque Trachiniarum fabulae Sophocleae versus primos scholiasta eo modo explicavit, ut celeberrimam illam Solonis ad Croesum profectionem exscriberet ex Herodoti l. I c. 29ss.[2]) minus evidenter veteres rationem perspexerunt, quae esset constituenda in Electrae Sophocleae vv. 59ss. et in Oedipi Colonei vv. 337ss.; in Electrae enim scholiis, quae a poeta sint significata, exempla afferuntur Pythagoras et Ulixes, quorum uterque improbandus est. rectius Eustathius, cum illius facti mentionem faceret (p. 1259), appellavit Zalmoxim. et ad illos Oed. Col. versus explicandos commentator

1) Gesch. d. Altert. IV 1901 p. 128.

2) sive ex aliqua eius fabulae propagatione, ut infra videbimus.

aliquis (in scholiis) exhibuit Nymphodori relationem, qui scriptor recentior ipse exhauserat Herodotum. tum ad Antigonae v. 264 scholiasta exemplum affert Phocaeensium, nec vero arcessivit fabulam Herodoteam, sed versum Callimachi; contra ad Trachin. 172 praeter Homerum Pindarum Euripidem testes advocat etiam Herodotum.[1])

Atqui in contemplanda harum inquisitionum historia imprimis in censum venit exemplum maxime conspicuum: quod dictum Antigonae (Soph. Antig. 905—12) omnium tenetur memoria. qua in re primo quidem mirabile est, quod istum concentum cum Herodoto (III 119) lucidissimum ne Aristoteles quidem offendit, quippe qui ipsos versus Sophocleos significaret *ἄπιστον* ideoque explicationis egentes (Rhet. III 16, 9). quod ut excusemus, illa aetate historico litterarum conferendarum copiam multo maiorem fuisse paratam monemus[2]): quo autem latius patet materies, eo minus eminent res singulae. atque vel hac aetate loco Sophocleo quicquam esse cum Herodoteo negatum est.[3]) contra Plutarchus (de frat. am. 7 p. 481) quod Intaphernae modo famam reddidit (nimirum Herodoteam, etsi more solito huius scriptoris exscripti nomen omisit), Antigonae neglexit: ex eo solo concludendum non est[4]) illo aevo in altera codicum Sophocleorum parte istos versus famosos fuisse deletos.

Primum vero, quantum scimus, utrumque locum coniunxit Clemens Alexandrinus (circa annum p. Chr. 200), cum alia inter permulta exempla *μάρτυρας τῆς κλοπῆς αὐτοὺς καθ' ἑαυτῶν παρέστησε τοὺς Ἕλληνας* (Stromat. VI 19). quae comparatio certe prioribus iam, qui his quaestionibus operam dabant, grammaticis attribuenda est.[5])

1) haud multum hanc ad quaestionem refert scholiastam adscripsisse ad Philoct. 201 verba *εὔστομ' ἔχε παῖ: εἰώθασιν οὕτω λέγειν ἀντὶ τοῦ σιώπα· τὸ δὲ τοιοῦτον κεχίασται ὅτι Ἑλλάνικός ποτε.* (scil. grammaticus) *ἀναγινώσκων τὰ Ἡροδότου* (II 171) *ἔλεγεν 'περὶ δὲ τῶνδε μοι εὔστομα κείσθω' οὐ διαιρῶν εἰς δύο λέξεις ἀλλ' ὡς ἄν τις εἴποι ταῦτα εὔστομα.* — in scholio autem ad Trachin. 253 *Ἡρόδοτος* falso scriptum est pro *Ἡρόδωρος*.

2) velut grammatici Alexandrini Sophoclis exhibebant dramata centum triginta cf. *Σοφοκλέους γένος καὶ βίος* § 18.

3) postremum ni fallor ab J. Moeller, Ehrengabe der Latina 1906.

4) quod conclusit N. Festa, At.[*]e R. 6 (1903) p. 129 ss.

5) Porphyrius apud Euseb. praep. evang. X 3_{13} p. 465 exhibet: *ὁ Ἀλεξανδρεὺς Φιλόστρατος περὶ τῆς Σοφοκλέους κλοπῆς πραγματείαν κατεβάλετο* (Cleopatrae familiaris, cf. Stemplinger, das Plagiat in d. griech. Lit. 1912 p. 35), 3_{23}: *Πολλίωνος — περὶ τῆς Ἡροδότου κλοπῆς ἐστι βιβλίον* (Stemplinger p. 34, 50). nec vero Clemens ipse adiit Hdti historiam, quod verba *μητρὸς καὶ πατρὸς οὐκ ἔτ' ὄντων ἀδελφὸν ἄλλον οὐχ ἕξω* diversa sunt a verbis historici III 119: *πατρὸς δὲ καὶ μητρὸς οὐκέτι μευ ζωόντων ἀδελφεὸς ἂν ἄλλος οὐδενὶ τρόπῳ γένοιτο* (Stempl. p. 75, qui illa e gnomologicis fontibus censet deducta p. 79).

Graecorum enim aetate posteriore talia 'furta' summo studio indagata sunt.[1])

In Clementis vestigia successerunt viri docti recentiores: post Iac. Tollium Valckenarius denuo notavit tragici et historici congruentiam[2]) et Herodotum censet Sophoclea dedisse ad verbum propemodum expressa, eodem modo quo aliis quoque locis scriptorem existimat discipulum poetae,[3]) cui sententiae adstipulati sunt Brunck[4]) et Creuzer[5]) eamque rationem Bernhardy recepit in suam linguae graecae Syntaxim (1829 p. 14, 30). atqui iam Wesselingius[6]) Musgraviusque[7]) ex Hdto delibasse tragicum existimant. plane vero eandem opinionem exposuit Bothe.[8])

Qua via posteri progressi sunt, ut ea quae alter alteri debere videbatur constituerent; nam maior semper congruentia inter Sophoclem Hdtumque detecta est, cum praesertim ei, qui de Antig. versibus 904 ss. interpolationis suspectis agebant, simul tractarent, quos alios locos Sophoclis censebant ex Hdto sumptos. atque Kirchhoff eo Antigonae cum Hdti l. III. consensu nisus ingeniosissime, quo tempore libri Hdtei compositi essent, concludere non dubitavit.[9])

Verum etiam adversarii exstiterunt, qui incredibile esse putarent Sophoclem ipso ex Hdto ista omnia prompsisse: e. gr. affero C. F. Hermann.[10]) ex eo quoque magna difficultas orta est, quod illi versus tragici verbis Hdteis similes cum alias ob causas tum propter ipsam similitudinem virga quadam censoria notata sunt.

His disceptationibus quasi freni quidam iniecti sunt, cum a. 1869 Classen[11]) cunctas, quae videbantur, Hdti sententias ab Sophocle expressas in unum contulit, collatas examinavit finemque imposuit hunc (p. 111): 'dafs die meisten der Stellen, in denen ich solche Beziehungen wahrnehme, keineswegs der poetischen Ausführung und Dar-

1) cf. Stempl. p. 6 ss. 33 ss.

2) Diatr. in Eur. fragm. 1767 p. 101 et in Wesselingii edit. Herodoti 1763 p. 257.

3) Diatr. p. 97 ss.

4) ad Soph. Ant. 909.

5) die historische Kunst d. Griechen p. 242 adn.

6) edit. Herodoti 1763.

7) Soph. trag. ed. 1800.

8) edit. Antig. 1806: 'parum enim esse consentaneum, Hdtum suae rerum gestarum narrationi poetae commento, cuius fidem praestare non posset, admiscendo commisisse, ut suam historici fidem ultro infringeret'.

9) a. 1868 in Actis Acad. Berol. p. 8 ss.

10) in exc. VII ad Baehrii edit. Hdti priorem 1831, qui quidem ipse in edit. altera 1857 sententiam suam commutavit.

11) Verh. 27. Philol-Vers. Kiel p. 109—16.

stellung gerade zum Vorteil gereicht haben, dafs vielmehr die persönliche Neigung für Betrachtungen dieser Art den Dichter zuweilen geleitet habe, selbst fremdartige Beziehungen in die Mitte seiner Dichtungen hineinzutragen'. nec multo post (a. 1875) duae eiusdem argumenti disputationes in lucem sunt editae: ab R. Nieberding (Soph. u. Hdt) et Fr. Hanna (die Beziehungen zwischen Soph. u. Hdt); hi autem (praesertim Nieberding) longius processerunt in imitationibus statuendis, cum quaecumque res in utriusque scriptis concinunt etiam ad religionem, honestatem, sermonem pertinentes, intellegerent tamquam a tragico haustas ex historico. quo factum est, ut una cum eis rationibus immoderate statutis cunctas fere has inquisitiones aliqui viri docti studiose repudiarent, velut Fr. Rühl,[1]) qui ipse mavult scriptorem ponere poetae aemulum.

Atqui inde ab illo tempore continuo disseritur capite proprio, quae rationes intercesserint inter Sophoclem et Hdtum.[2]) in commentariis quoque et compendiis sententiae invicem expressae solent exhiberi. contra Ed. Meyer disceptatione peculiari, quid ambo crediderint et docuerint de mundi contemplatione, comparavit.[3]) sed adhuc deest inquisitio, qua ratione critica inspiciantur singuli loci, quibus sive poeta sive scriptor alter ex altero videatur quid hausisse ad sua scripta exornanda; et qua inquiratur, num iam ante utriusque aetatem illa argumenta exstiterint, quantaque cum probabilitate historicus putandus sit auctor tragici. quibus quaestionibus solvendis hac dissertatione addere aliquas res propositum mihi est.

B. DE SOPHOCLIS EPIGRAMMATE IN HEROD. COMPOSITO.

Atque ut incipiamus e firmo traditionis fundamento, primum num quod testimonium amicitiae inter Sophoclem Hdtumque initae apertum nobis praesto sit, quaerimus, quoniam familiaritas ac consuetudo gravissima sunt incitamenta ad alterius sententias suae potestatis faciendas. primum affertur epigramma illud a Plutarcho servatum, qui cum dissereret 'num seni respublica sit gerenda', addidit verba (cap. 3 p. 785B): *τουτὶ δ' ὁμολογουμένως Σοφοκλέους ἐστὶ τοὐπιγραμμάτιον·*

ᾠδὴν Ἡροδότῳ τεῦξεν Σοφοκλῆς ἐτέων ὢν
πέντ' ἐπὶ πεντήκοντα.

atqui num ea verba ab ipso Plutarcho scripta sint, in dubium voca-

1) Philol. 41 1882 p. 75s.
2) affero Bursiani Annales.
3) Forsch. z. alt. Gesch. II 1899 p. 262—8.

tum est; qui enim vir sit quinque et quinquaginta annorum, eum posse vocari senem negatur. quod argumentum haud satis firmum est: Graeci enim ipsi quinquagenarium appellant *πρεσβύτην*.[1]) atque Plutarcho aevi terminus, qui ad eius rationes pertineat, est annus quinquagesimus[2]): itaque quod Soph. dicitur habuisse a. 55, nihil est, cur locum putemus spurium. potius Plutarchus ubi hoc epigramma, cum mirabilia post aevi a. 50 facta colligeret, in collectanea sua recepit, omittere noluit et hoc loco maxime idoneo attulit, cum Sophoclis mentionem iam fecisset. nec minus probabile est istos versus revera profectos esse ab ipso Sophocle poeta tragico: notissimos enim fuisse concludo ex eo, quod auctor addidit *ὁμολογουμένως*.[3]) atque illis temporibus simul intellegenda est ipsa *ᾠδή*, qua confirmata fuerit auctoritas.

Hdtus vero qui appellatur, nimirum intellegendus est historicus; quis enim recte dubitat, quin eodem nomine (atque haud ita frequenti)[4]) eodem tempore significetur idem vir, praesertim si est clarissimus?[5]) Plut. sine ulla dubitatione intellexit et tragicum et historicum. quae ratio optime probatur eo, quod ingenioso Gomperzi invento[6]) epigramma expletum est ita, ut concilietur commode cum historici natalibus. etenim, ut Gomperzium sequamur, Soph. cum a. 497/6[7]) natus annis tredecim superet Hdtum a. 484 natum, conici potest:

πέντ' ἐπὶ πεντήκοντ' ἑξάκις ἑπταέτει.[8])

1) ut Hippocr. apud Philon. de mundi opif. 105: *ἀνὴρ δ' ἄχρις ἑνὸς δέοντος ἐτέων πεντήκοντα ἐς τὰ ἑπτάκις ἑπτά, πρεσβύτης δ' ἄχρι πεντήκοντα ἓξ ἐς τὰ ἑπτάκις ὀκτώ, τὸ δ' ἐντεῦθεν γέρων*, eodemque exemplo Latini senem. quemadmodum Cicero ad Att. VI 6 vix sex et quinquaginta annos natus 'senectutem suam' memorat.

2) sic profert Epimenidem evigilasse post 50 annos iam senem (c. 1_{12} p. 784 A: *Ἐπιμενίδην λέγουσι κατακοιμηθέντα νεανίαν ἐξεγρέσθαι γέροντα μετὰ πεντήκοντα ἔτη*). eodemque modo iunioribus opponuntur seniores c. 2_1 p. 784 C: *οὐκ Ἀλκιβιάδης — ἀλλὰ τοὺς ὑπὲρ πεντήκοντ' ἔτη γεγονότας*.

3) qua forte ipsa re ut vv. afferret impulsus est, quamvis hic non conveniant cum nostro sensu.

4) E. Sittig (de Graecorum nominibus theophoris 1911 p. 24) quidem enumerat e saec. V. quinque viros nominis *Ἡρόδοτος*.

5) etsi Sittl (griech. Lit. II 370_2) carmen honori destinatum esse censet pulchri cuiusdam pueri; cur id elucere ex ipsis verbis dicat, non intellego.

6) Mélanges Henri Weil 1898 p. 141 ss.

7) cf. Mendelssohn, Acta soc. phil. Lips. II (1872) p. 171 s.

8) quae coniectura sane probabilior est quam Bergkii (PLG II[4] 1882 p. 245), qui cum redintegraret versum: *πέντ' ἐπὶ πεντήκοντ' ὄντι δὶς εἴκοσ' ἐτῶν*, impugnabat Pamphilae testimonium, quae historici natales ol. 74_1 = a. 484/3 adscripsit.

itaque subductis calculis ponitur carmen in a. 442/1, quo tempore Antigona tragoedia in volgus est edita: qua de ratione infra agemus. de argumento enim poematii breviusculi ex ipsis verbis nihil potest concludi, neque de ambitu ex eo, quod Plutarchus appellat *ἐπιγραμμάτιον*, certi quicquam constitui posse videtur.[1])

Eam vero ob causam huic disticho maximam tribuo vim, quod apertum offert testimonium intimae familiaritatis inter hos viros, qui appellantur aetatis Pericleae auctores excellentissimi. nec id unum consuetudinis testimonium nostris oculis subiectum est. adhuc in manibus habemus reliquias, quae utriusque memoriam reddunt aeternam; atque hae sunt auctoritatis, quam alter in alterum habuerit, testes sincerae.

C. QUIBUS FINIBUS IMITATIONES INCLUDENDAE SINT.

Nos igitur ei provinciae operam navabimus, ut num Soph. in tragoedias suas componendas ex Hdti libris historicis quasdam sententias sive exprimendo sive alludendo sumpserit, inquiramus. sed priusquam ad eam ipsam materiam accedemus, pauca verba faciemus de tota hac imitationum quaestione.

A principio fieri potuisse non est negandum, ut Soph. Hdti sententias vel verba in suarum fabularum usum vocaverit. qua in re conveniunt omnes fere scriptores, ut quibusdam ex fontibus argumenta sua hauriant: neque enim, quippe qui simus homines, facere possumus, ut omnia cum antecessoribus et aequalibus vincula dissolvamus. ita factum est, ut Alexandrinorum iam aevo novum litterarum genus oreretur, quo 'furta' illa indagarentur.[2]) in eo tantum posita sunt discrimina, quo consilio vel quem ad finem aliquis aliquid mutuatus sit. imprimis vero repeti solent dignae, quae memoria teneantur, sententiae ac narrationes, quibus quo incitentur animi inest aliquid proprii, mirabile, acuti.[3])

1) quod quidem Bergk tragicum dixisse putat se annos 55 natum nunc primum ad rem publicam accedere, certe falsum est, quoniam poeta collegio interfuit imperio Attico dividendo a. 443/2, Ἑλληνοταμίας (IG I 237 p. 120).

2) cf. Norden, in comment. ad Verg. Aen. VI, p. 359_1.

3) scilicet alia est res, quod Graecorum erat omnibus in artibus singulis retinere formas antiquitus traditas, quae semel atque iterum adhibitae altius atque altius augerentur: in ea re non est, quod miremur. contra hac in quaestione Soph. non ab ullo antecessore poeta, sed ab Hdto rerum scriptore historicarum, sumpsit argumenta, quamquam apud veteres in usu erat, ut uni quisque componendi se daret provinciae; sane Soph. ipsum traditur usum esse etiam prosa oratione. cum de choro componeret libel-

Iam vero si quaeritur, quibus locis quid tragicus ad fabularum suarum ornamenta transtulerit, haec genera discernimus: primum eas causas afferimus, quibus poeta argumenta a prioribus sive epicis sive dramaticis tradita sua sponte mutavit, ita ut imagines condicionesque aut minuerentur aut augerentur. tum ei loci sunt exhibendi, quibus poeta a scriptore historico impulsus novam aliquam sententiam inseruit aut condiciones adhuc inusitatas invenit.[1]) maxime autem perspicui sunt ei loci, ubi offendimus, cum poetam amici gratia pellectum videamus ultra fines artis severioris.

Omnibus vero locis id summopere est studendum, ut quam ob causam poeta mutaverit condiciones, detegamus: quibus causis detectis id quod suspicati eramus, poetam pendere ab historico, gravissime firmatur. et hoc quidem facile intellegitur non omnia antiquitus tradita potuisse servare tragicos, quorum erat rerum agendarum condiciones in moribus opinionibusque temporum diu praeteritorum conditas repetere ac confirmare illatis ipsorum aetatis cogitationibus ac sententiis. quam ob causam saepe poetae antiquas fabulas in lucem proferrent necesse erat nova veste indutas, non tam ne prorsus eadem darent ac priores, quam quod ex aetatis suae rationibus aliae postulabantur condiciones novumque fundamentum. qua ipsa investigatione causarum, quibus adducti poetae recesserint a fabula usitata, illustrantur propriae singulorum poetarum naturae atque indoles.

Atqui quas quaestiones instituturi sumus, imprimis apud Sophoclem impediuntur eo, quod eum (qua re saepe differt ab Aeschyli ratione) praeter alios antiquis carminibus epicis nisum esse constat. eius autem magni ac gravis generis poetici perpaucae tantum reliquiae aetatem tulerunt, ita ut magna nobis offeratur difficultas probandi Soph. primum in fabulas inseruisse quoddam argumentum aliunde sumptum.

Contra licet aliquae sententiae fabulae priori illatae sint ab ipso

lum: qua re eum mobilis fuisse mentis probatur (quod quidem in eius aequali Ione luculenter apparet). contra eius ingenium non tantum valuisse videtur inventis a se ipso excogitatis (cf. Ad. Müller, aesth. Komm. pp. 34, 39). cui rei testimonio sit, quod non multum profecisse traditur in fabulis satyricis (an abhorruit ingenium eius urbanum ab agrestiore hac musa?), quarum summa posita est in sententiis plane ignotis ac necopinato excogitatis: hac arte omnium risus movet Aristophanes. quamquam adhuc discernere non possumus, num illud de Sophoclis artificio iudicium asperum in meliorem partem sit mutandum invento Ichneutarum dramate satyrico.

1) quae ratio saepissime solet accidere apud omnes poetas, qui non suis tantum viribus proficiant, sed ab aliis quoque promptum aliquid offerant.

tragico, tamen nondum eas promptas esse ex alio quodam scriptore comprobatur. immo nova difficultas exsistit nostris inquisitionibus, quod cum apud Soph. et Hdtum aequas morum religionisque cogitationes rationesque inveniamus, quaerendum est, num ea quae paria sint, debeantur totius aetatis, ex qua utriusque libri creverunt, condicionibus.

Etenim Hdtus ortus quidem erat ex Ionia, quae cultu expoliendo multum praecederet Graeciam continentem, tamen vetustati propitius causam suam adaptabat statui Atheniensium.[1]) qua in re adiutus est eo, quod Panyassis avunculus, quo usus est familiarissime, ipse vocatus *τερατοσκόπος* eius pietatem erga deos et oraculorum prodigiorumque fiduciam alebat.[2]) atque eam religionem incitavit oraculum Delphicum: ut Pindarus, Aeschylus,[3]) Sophocles ab eo pendebant, eam fidei sacrae sedem colebant, ita inde plurima vaticinia petivit etiam Hdtus: et suspicati sunt viri docti corpus quoddam oraculorum, quod et Hdtus historicus et Sophocles tragicus in suum usum verterint, cum commemorentur Oed. R. 906 *Λαΐου θέσφατα* et apud Hdtum V 43 *ἐκ τῶν Λαΐου χρησμῶν.*[4]) ergo ea ex religionis adhibitae similitudine nihil fere potest concludi de alterius auctoritate in alterum.

Ac profecto talia cunctae vitae fundamenta moralia, qualia cognoscimus e scriptorum operibus, non aliunde sumuntur, sed penitus haerent pectori infixa. hoc tantum intellegitur pares sensus ortos esse e communibus temporum condicionibus: ingenium aetatis appellem, quod reluceat ex utroque illius aevi auctore excellentissimo; dico autem sententias, quae ferebantur de deorum invidia[5]), de superbia

1) ita Stein exhibet de libro Hdteo (in prolegg. ad edit. V. 1901 p. 26): 'seine künstlerische Form in Aufbau und Ausführung, und sein sittlich-religiöser Grundgedanke tragen ein entschiedenes Gepräge der gut-attischen, von der Sophistik in Geist und Rede noch nicht ergriffenen Zeit.'

2) quam rem exposuit A. Schoell, Philol. 10 (1855), 39 ss., qui quidem longius processit.

3) cf. Blass, edit. Choeph. 1906.

4) cf. Wilamowitz, Herm. 34_{76} s.; cui obloquitur Gruppe in Bursiani annal. 137, 1908_{201}, sed vide quod exhibet Pomtow apud Pauly-Wiss., s. v. Delphoi (1901), p. 2521 s. — de Hdti rationibus cum oraculo Pythio initis accurate disserunt A. Oeri, de fonte Delphico Hdti, diss. 1899; et Car. Lanzani, Riv. di Storia antica N. S. a. 8. fasc. 2—4.

5) W. Christ (über d. Verh. zw. Hdt u. Pindar, Sb. Ak. Münch. 1895_{28}) significat invidiam illam deorum reperiri et lyrici et historici in scriptis, etsi discerni non possit, uter eam in volgus ediderit prior. de invidia Hdtea egit H. Meuss, progr. 1888 (21 p.). ubera exempla variis e scriptoribus collocat Nestle, Eurip. p. 57, 420_{28}. Sophocles quidem, cui *Φθόνος* numen personatum est (Philoct. 776), *φθόνου θεῶν* nusquam aperte fecit mentionem (cf. Hirzel, Themis, Dike u. Verwandtes 1907, p. 305).

(ὕβρει) eiusque poena inevitabili.[1]) huc spectare crediderim ea, quae ambo profitentur de proavorum poenis a progenie repetitis; haec enim totius stirpis exsecratio apud utrumque multo minorem iam praestat vim pro priorum et Aeschyli consuetudine.[2]) denique Soph. et Hdtus exhibere amant feminas magnanimas, quas terminis virilium virtutum et muliebrium perfractis exornant muneribus ingentibus.[3]) ita tragico contigerunt illae heroinae omnibus notissimae, historicus condidit, ut exemplum afferam, personas Artemisiae (VIII 68 ss., impr. 101—3), Nitocris (I 185 ss.), Tomyris (I 205 ss.).[4]) talia nequaquam promuntur ab aliquo aequali, sed firme fundata sunt in animo. atque si aliis quoque locis non modo aequalium, verum etiam priorum eaedem sententiae obviam fiunt, quid si iam in scholis docebantur?[5]) qua in re non is sum, qui ne certam quidem cuiusdam sententiae moralis formam, ipsa verba repeti potuisse negem: recordor illud Solonis, de quo postea agemus.[6]) atque quae opera et historicus et tragicus ediderunt, ut vulgo placerent, adaptata erant ad sensum communem: unde in gratissimam pervenerunt auram popularem.[7]) etenim religio veteribus multo maioris momenti erat quam nobis, si non cunctae vitae fundamentum.[8]) in Sophocle

1) τὴν πρὸς τοὺς θεοὺς εὐλάβειαν utrique aequam exponit E. Rohde, Psyche II² 288.

2) ex Hdti libris profert I 91 VI 86 Rohde, Psyche II 228: exempla quam moderata! de Sophoclis sensu aeque temperato infra agemus, ubi ostendemus vinculum cum talionis auctoritate severissima initum (v. p. 19_4).

3) cf. Christ-Schmid, griech. Lit. I 304.

4) id quoque monendum est Hdtum nonnullis locis poetica quadam ratione dicendi uti (cf. Stein ad Hdt I 22_4), cunctam autem historiam comparatam esse cum tragoediarum exstructione propter ingressionem studium conflantem, dispositionem, orationes ut in scaenis insertas (cf. etiam E. Weber, Hdt als Dichter, Neue Jahrb. 1908 p. 668 ss.).

5) cf. A. H. Sayce, the ancient empires of the east. Hdt I—III 1883.

6) haec quoque difficultas oritur, quod a principio dubitari potest, aliqua sententia utrum propria sit ipsius poetae, an qua a persona poeta eam faciat enuntiatam, eius ex animo moribusque intellegenda sit: quem ad finem alterius quoque ex historiis sententiae, cum poeta non suas conservaret rationes, peti poterant. nec vero multum valere id videtur.

7) nempe Soph., qui vocatur εἷς τῶν θεοσεβεστάτων (schol. El. 831) [quo probatur eum Aesculapii sacerdotem in vita non aliam prae se tulisse personam atque in theatro], omnium erat in deliciis; et Hdto pro historiarum libro coram Atheniensibus recitato praemium est a republica attributum; cuius de magnitudine potest dubitari (cf. W. Aly, Rh. M. 64 1909 p. 637), de ipso facto non potest.

8) ut modo in tragoediarum actiones animos vertamus (cf. A. Dieterich, Arch. f. Rel. 11 1908 p. 187 ss.).

ergo et Hdto non singulas modo videmus personas, sed lumina aevi Periclei.[1])

Sed hac quoque condicione alterum aliquid ponderis habuisse in alterum concedimus, si singulas sententias aetate progrediente inter utrumque appropinquatas esse constituitur: quae quidem inquisitio paene non potest perfici.

Ex illo autem circulo Pericleo aliae quoque similitudines possunt repeti: dico quae pertinent ad vitam remque publicam. quamquam Ad. Bauer[2]) durius inter tragicum et historicum discrevisse mihi videtur, cum exhibet: 'Soph. u. Thukydides sind somit auch als Staatsmänner und n i c h t a l s L i t t e r a t e n überzeugte Anhänger des Perikles und seiner Politik. Hdt dagegen gesellte sich als Litterat aus Kleinasien ihrem Kreise zu': namque Sophocles et homo privatus et rerum civilium peritus[3]) Periclis auctoritati se dedit; neque Hdto, qui *πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω*, abiudicandum est rerum publicarum studium.[4])

Atqui ea ipsa causa cognoscimus, quam arte ambo cohaeserint et cogitandi et sentiendi rationibus: optime convenerunt inter se in omnibus religionis et naturae contemplandae et vitae publicae quaestionibus; praeclare alter alterum intellegebat, omnia consentiebat, quo solo modo vera amicitia initur.[5]) nos vero aequi utriusque sensus minus

1) neque mirum est, quod inter illos viros, qui in Periclis amicitiam convenerant, erat etiam Lampo vates, qui una cum Hdto Thurios transmigravit. etsi inter eos versatus est Anaxagoras quoque, qui religionis popularis contemptor ultionem aufugit plebis traditae legis studiosae: eius nimirum auctoritas maior erat in Euripidem et Thucydidem, quam in Sophoclem Hdtumque. — apud illos aderat etiam Protagoras sophistarum princeps. quibus de rationibus egit W. Nestle,. Hdts Verh. z. Philosophie u. Sophistik 1908 (cf. Philol. 70 p. 242 ss.) et Sophokles u. die Sophistik (Class. Phil. 5 1910 p. 129—57).

2) Neue Jahrb. 9 1902, p. 231, ubi Eduardi Meyer inquisitiones ad hist. ant. pert. recenset.

3) qui censetur ab Ione apud Ath. 604 D: *ὡς ἄν τις εἷς τῶν χρηστῶν Ἀθηναίων*, cf. Christ-Schmid, gr. Lit. I^5 296, 5.

4) cf. A. Hauvette, Hérodote historien des guerres médiques, 1894, p. 496—500.

5) quae rationes optime confirmantur ea aestimatione, quam utrique tribuunt posteri, quod aliqua aetas si alterutrius opera adamaverat, utriusque simul condicionibus adaptata erat. quare cum aequalibus summi fuissent pretii gravitatisque, quarto iam saeculo ineunte principatum concedunt rivalibus iunioribus [cf. Christ-Schmid, gr. Lit. I 326 et 448 s.]. praecipue a Graecitatis posterioris hominibus, qui dicuntur Hellenistae, et tragici (Euripidis gratia) et historici scripta perparvi aestimata sunt. tum inde ab extremo a. Chr. n. saec. amborum auctoritas prorsus redintegrata est, ita

tangunt, qui animum vertamus ad ipsam alterius in alterum auctoritatem vestigiaque, quibus (interdum paene ad verbum) aequae condiciones, aequae sententiae offerantur, quae non ortae sint ex intimi animi aequitate, sed extrinsecus arcessitae.[1])

Sed etiam altera ex parte materiam, quam nobis proposuimus tractandam, artius contrahimus: singula enim verba, quae utrique sunt communia, enumerare existimo supervacaneum. vere temerarii enim me quidem iudice est, in utriusque scriptis ubicumque idem verbum obviam fit, statuere aliquod vinculum.[2]) namque eadem ratione qua in sensibus, etiam in singulis verbis cavendum est, ne eae similitudines iudicentur ex altero sumptae, quae debeantur communi, ex quo uterque opera sua exstruxerit, fundamento. ergo ea tantum vocabula possunt afferri, quae ad illud tempus non alius quisquam, quem sequerentur, adhibuerat. sed quoniam priorum et aequalium scriptorum libri aetatem tulerunt angustiores, quam ut nos sermonis Attici novisse circuitum gloriemur, posteriores quoque adhibere debemus, nisi forte quod verbum alio quoque loco repertum probatur haustum ex alterius eorum scriptis: quae quidem inquisitiones summa difficultate instituuntur.

Immo si quis quem librum componit, ea modo verba, quae praesto sunt eius menti, adhibet neque denuo in eum finem evolvit alterius scripta; ut omittam, cum priores tragoedias Sophocles ederet, Hdti libros historicos certe non cunctos sub eius oculis iacuisse litteris traditos. restat igitur, ut familiaritati et colloquiis cotidianis tribuamus, si quid alter ab altero videtur mutuatus esse: non ex ipsis librorum locis, quibus quaedam voces nobis obviam fiunt, tragicus eas excerpsit, ut sua dramata exornaret. quam ob causam nos contineamus necesse est in eis verbis ac nominibus, quae propria sunt solius sermonis Hdtei neque ad linguam Atticam conveniunt: dico glossas Ionicas. quamquam ea quoque difficultas oritur, quod nescimus, quem ad modum et quem ad finem tragici Attici adhibuerint dialectum Ionicam, cum inventi sint illi duo trimetri versus Phrynichi pura Iade compo-

ut optimis latinitatis auctoribus Soph. esset denuo tragici cothurni princeps et Hdtus historicis evaderet generis scribendi exemplar. — id quoque affero et de Sophocle et de Hdto disseruisse eundem Salustium Iamblichi discipulum.

1) pares enimvero illi utriusque sensus iam accurate dispositi sunt, velut a Nieberdingio ('Soph. u. Hdt' progr. 1875), Hanna ('die Bezh. zw. Soph. u. Hdt' progr. 1875), Eduardo Meyer (Gesch. d. Altert. IV, 113 atque uberius Forsch. z. a. Gesch. II (1899) 252 ss.). itaque satis habemus, quae supra attulimus, commemorare.

2) quomodo rem instituit Nieberding l. l.

siti.[1]) etsi aliter res se habet in eis causis, ubi aequa vox testatur aequam scaenae condicionem; id enim nobis persuasum est, non sine qua causa Sophoclem singula vocabula sumpsisse ab Hdto: quod postea probabimus exemplo apertissimo allato, cum disseremus de voce *Μάγος* (Oed. R. 387).

Nunc iam iustis terminis materiam propositam circumscripsimus, ut res incertae temporum condicionibus, non ipsorum familiaritati tribuendae excluderentur. Accedimus ad ipsa argumenta, quae ex Hdti libris historicis sumpta putari possunt in Sophoclis reliquiis tragoediarum. quam dissertationem ita instituimus, ut summum studium ponamus in rebus translatis, supplementum modo afferamus vocabulorum depromptorum. res autem translatas ita dividimus, ut primum disseramus de condicionibus scaenicis, tum de sententiis, quae Hdti auctoritati debentur.

II. DE REBUS AD FABULARUM FUNDAMENTA PERTINENTIBUS.

A. DE SOMNIO CLYTAEMESTRAE.

Ab initio ut lectorem medias in res introducamus, argumentum eligimus ab omnibus partibus certissimum: dico somnium Clytaemestrae. hic enim locus inter omnes, qui nobis Electra tragoedia praebentur ex Hdti historiis expressi, maxime dignus est, cuius diligenter considerentur condiciones causae vis.

Ubi primo aspectu cadit in oculos Sophoclem prorsus dissentire ab Aeschylo. quam autem formam finxit Soph., eadem invenitur apud Hdtum; quare dummodo demonstremus Aeschylo tribuendas esse condiciones vetustiores, concludi potest de ratione, quae interest inter tragicum et historicum.

Comparemus igitur utramque somni formam: Sophocles Clytaemestram per somnum vidisse fingit Agamemnonem ad superos et in ipsius gremium reversum collocantem in regiae foco sceptrum suum, ex quo frondescente progerminaret ramus totam Mycenaeorum terram obumbraturus (El. 417—23). contra Aeschylus (Choe. 524—33) draconem narrat, quem peperisse Clytaemestra sibi esset visa, cum mammam ei dedisset, simul cum lacte suxisse multum sanguinem. huic autem somnio Aeschyleo adnecti potest, quod invenimus Stesichori fragmentum servatum apud Plutarchum,[2]) ubi exstant hi versus:

1) ex altera parte imprin[illegible] et Sophoclis et Hdti sermo fundatus est in carminibus epicis.

2) de sera numinis vindicta c. 10 p. 555 A = Bergk PLG III⁴ 222.

τᾷ δὲ δράκων ἐδόκησε⟨ν⟩ μολεῖν κάρα βεβροτώμενος ἄκρον·
ἐκ δ' ἄρα τοῦ βασιλεὺς Πλεισθενίδας ἐφάνη.

quibus versibus a Plutarcho hoc praemissum est: *ὥστε πρὸς τὰ γιγνόμενα καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀποπλάττεσθαι τὸ τῆς Κλυταιμήστρας ἐνύπνιον τὸν Στησίχορον, οὑτωσί πως λέγοντα·*

His tribus somni formis compositis primo obtutu videtur sequi, ut Aeschylum suam formam ipsum formasse negemus, quippe quae iam prioribus temporibus exstiterit. nam e somnio Stesichoreo facillime concluditur Aeschyleum. atque iam apud Stesichorum non tantum partem, sed universum somnium, addita consequentia Aeschylea, exstitisse infra demonstrabimus. contra Soph. novi aliquid introduxit: et suo iure recessit a prioribus. nam si interiores utriusque formae condiciones respiciemus, magnum discrimen cognoscemus. quod ut intellegamus, tota Clytaemestrae fabula accurate est tractanda.

In cunctis Homeri libris, qui carminibus quibusdam epicis fata Atridarum tractantibus nisi sunt, quin Clytaemestra quamvis perfida se praebuerit in maritum atque consilio adiuverit adulterum, tamen non ipsa manum intulerit Agamemnoni, dubitari non potest.[1]) quare cum Orestem nullae patris Erinyes, ut poenas repeteret a matre, impellerent, Homeri temporibus Clytaemestrae somnium prorsus erat ignotum.[2])

Epica autem aetate exeunte tota Atridarum (sive Pelopidarum) fabula conversa est. cuius conversionis summa in eo est posita, quod cum genius ultor severo illo talionis iure etiam atque etiam incitaret generis et filios et nepotes numquam exstinctus, personarum partibus nova ratione instructis Clyt. ipsa sua manu necavit maritum, matrem ipsam ultus est Orestes: huc spectant, quaecumque mutata sunt. qui

1) culpam eius Aristarchus constituit his verbis (schol. ad Od. λ 410) *ὅτι τῇ ἐπιβουλῇ κἀκείνη συνέγνω· τὸν γὰρ χιτῶνα καὶ τὸν πέλεκυν Ὅμηρος οὐκ οἶδεν.* id iam hoc uno potest confirmari, quod Agamemno reversus trucidatur una cum sociis in cena (δ 530—7, λ 409—20), ubi spatium non erat mulieri. nam quod ipsa interficit Cassandram (λ 421—4), ea altera pars adseritur priori caedi iam patratae. neque ex eo, quod Orestes et Aegisthi et matris sepulcrum celebrasse epulis dicitur (γ 310, quem versum genuinum comprobant Blass, Interpolationen in d. Odyssee 1904 p. 63 et Petersen, Rh. M 66 1911 p. 18), sequitur, ut ipsa sit interfecta a filio coniugis cruorem ulciscente, velut etiam α 299 Aegisthus solus affertur occisus, matris mentio non fit.

2) potius, id quod alio fortasse loco accuratius exponam, reginae caedes tribuenda esse videtur Pyladi. exhibeo nunc unum scholium ad Arist. Nub. 623 traditum: *Πυλάδης πρῶτος ἐκρίθη ἐπὶ τῷ Κλυταιμήστρας φόνῳ* (cf. schol. Soph. Trach. 638).

vero primus Clytaemestrae ipsi Agamemnonis caedem tribuerit, certe confirmari non potest. offeruntur quidem nobis primum istae Orestiae condiciones fragmentis Stesichori; atqui ante eum ponenda est Xanthi cuiusdam Orestia, qua usum esse Stesichorum testantur Aelianus (v. h. 4_{26}) et Athenaeus (12 p. 413 A),[1]) quamquam quid ille Xanthus praestiterit, quid Stesichorus ei debuerit, ignoramus; et concedendum est Stesichori Orestiam maxima fuisse auctoritate apud Athenienses.[2]) nam quod a Wilamowitzio (l. l.) tantas fabulas paene epicas a poeta lyrico potuisse tractari negatur, inspicias quaeso Quintiliani verba (Inst. or. X 1_{62}): 'Stesichorus — epici carminis onera lyra sustinens — redundat atque effunditur', quae vituperatio aliter intellegi non potest, atque quod materiam uberius diffuderit pro natura carminis lyrici.[3]) iam concedes eum optime potuisse fundamentum subicere posterioribus; accedit, quod Stesichorus et Aeschylus conveniunt in nomine *Ὀρεστείας*, qui consensus certe gravis est momenti.[4])

Nunc quaerimus, quomodo illud Clytaemestrae somnium a Stesichoro tractatum sit explanandum; duo enim versus a Plutarcho servati, quid sibi velint, per se difficiles sunt cognitu: insequentibus versibus sensus praesertim ultionis praebendus erat. Stesichorus enim cum larga dictione usus sit, persuadere nobis non possumus illud somnium tam neglegenter esse adhibitum.[5])

Eventum ergo a Stesichoro fictum est hoc: mortuus cruentatus apparet ei, quae necaverat; qua specie nulla significatur vindicta, quod a principio, quid Agamemno coram uxore fecerit, nescimus. at certe

1) quem auctorem prorsus tollere conatus est Robert (Bild u. Lied 173 ss.), sed argumentis parum firmis. certe Pyladis Phocensis inventio non potest tribui Stesichoro Locro.

2) quam rem cognoscimus ex Aristophanis significationibus, cf. schol. ad Pac. 775, 797, 800; et Wilamowitz, Orestie II 247.

3) velut Plutarchus, qui dicitur, exhibet de Stesichoro aliisque (de mus. 3): *ποιοῦντες ἔπη τούτοις μέλη περιετίθεσαν.*

4) atque reicienda est Wilamowitzi sententia, qui vir ingeniosissimus (l. l. p. 246) suspicatus est Aeschylum non Stesichori carmen ante oculos habuisse in illa narratione, sed utrique poetae supponendum esse fontem communem, nimirum Delphicum quoddam carmen epicum; ut Blassium afferamus testem, qui (Aesch. Choeph. 1906, p. 8) prorsus refutat illam carminis Delphici coniecturam; cf. Gruppe, griech. Myth. 696, 699_4; Radermacher, Jenseits p. 132 ss.

5) nisi forte existimas lyricum ipsum rem sumpsisse a priore quodam poeta, quod non multum nostra interest: ut enim Himereus exiguis illis verbis arcessiverit argumentum notissimum, constat iam ante Aeschylum speciem ad finem fuisse perductam. etsi Wilamowitzio (l. l. p. 248) assentiri non possum dubitanti, cuiusnam cruore caput fuerit respersum: nimirum draconis ipsius, ut mox probabimus!

ostentum visenti erat terribile, quo praediceretur vindicta. etenim hoc Plutarchei libelli de sera num. vind. conscripti caput 10 versatur in eo, ut somnia memoriae prodantur, quibus is qui aliquod facinus commiserit, per somnum vexetur praesentia eius, cui iniurias intulerit et qui iam poenas praedicat repetendas easdem: hac ratione observanda in illo capite etiam Agamemno mortuus in conspectum venit coniugis scelestissimae; nec verba trahi possunt in Orestem.[1]) Wilamowitz quidem (l. l.) verbo *ἄρα* adducitur, ut Orestem intellegat: hac vero ratione ambobus versibus dissolutis priorem modo versum speciei attribuere cogimur, quo notatur nemo nisi Agamemno. neque enim Orestis caput sanguine est respersum:[2]) quarę perlucide significatur Agamemno, qui tamquam quercus (Soph. El. 98) ab uxore ictus est securi, quae Clytaemestram solam decet mulierem; et ad securim convenit concussum caput (non pectus, quod petitur gladio).[3])

Etiam draconis simulacro ducimur in Agamemnonem mortuum, quia draco veteribus imago erat mortui inter inferos versantis: ea condicio ab omnibus qui carmen audiebant statim intellegebatur, quoniam quantam auctoritatem habuerit haec opinio apud Graecos, elucet e sepulcris, in quibus saepissime apparet draconis simulacrum.[4]) itaque facere

1) nam ut concedamus Orestem potuisse nominari *Πλεισθενίδαν* [cf. Wilam. l. l. 248$_3$; Radermacher, Jenseits p. 126; apud Bacchylidem (c. 14$_{48}$) *Πλεισθενίδας* appellatur Menelaus], *βασιλεύς* certe non potuit. neque enim Clytaem. ipsa *βασιλέα Πλεισθενίδαν* agnoscere potuit, quoniam quibus regia dignitas cognosceretur, signa praesto non erant (sceptrum solum non satisfecisset ad pavorem reginae excitandum) et quod mater non recognovisset filium, qui parvulus ab ea discesserat (quamquam simplicioris ingenii poeta eiusmodi aliquid potuit fingere, velut Orestis concinnum).

2) cf. Blass in edit. Choeph. 1906 p. 5.

3) reginae bipennim invenimus identidem in vasis pictis (cf. Robert, Bild und Lied 150 ss., 170 s.) et apud tragicos (Rob. 161). nam quod Petersen (Rh. M. 66 1911 p. 13$_1$) ne Aeschyli quidem temporibus istam securim notam fuisse contendit, probari non potest: Aristarchus enim loco supra laudato non Homerum solum nominavisset. Soph. (El. 99) et Eurip. (Hec. 1279 cum schol.) solam securim noverunt: qua re haec prioribus potius ex temporibus repetenda est. et quod apud Aeschylum et bipennis et gladius afferuntur mortifera [cf. Warr, Clytemnestra's Weapon, Class. Rev. 1898 p. 348—50], Headlam (Class. Rev. 1902 p. 352) addit tragicum haud ignarum rem concessisse audientium iudicio. tum temporis securi propriam inditam esse auctoritatem cognoscimus e verbis Hdti VII 135: *εἰ γὰρ αὐτῆς* (scil. *ἐλευθερίης*) *πειρήσαιο, οὐκ ἂν δόρασι συμβουλεύοις ἡμῖν περὶ αὐτῆς μάχεσθαι, ἀλλὰ καὶ πελέκεσι.*

4) cf. Rohde, Psyche I compl. locis; O. Gruppe, griech. Myth. 804$_2$; Sam Wide, Grabesspende u. Totenschlange (Arch. f. Rlgwsch. 1909 p. 222 s.).

non possumus, quin etiam eum, qui illud somnium finxerit, istius rationis conscium sibi fuisse constituamus.[1])

Atqui Petersen (Rh. M. 1911 p. 13_1) versum aliter intellegit, cum verbo *βεβροτώμενος* significari contendit draconem capite humano ornatum. sed primum obstat vox *ἄκρον*; tum totius capitis Plutarchei ratio prorsus neglecta est. Plutarchus enim affert somnia, quibus facinora immania scelestorum oculis denuo offerantur, cum ipsi ignominia affecti appareant ac vindictam parent: eis igitur imaginibus libri de sera num. vindicta conscripti, quae revera paulo post evenerint, indicantur ultiones. quo spectant verba: *πρὸς τὰ γιγνόμενα καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀποπλάττεσθαι τὸ τῆς Κλυταιμήστρας ἐνύπνιον*, h. e.: finxisse ad veritatem atque ut res ipsae essent eventurae.

Atqui in fabulae contextu Agamemno non ipse venit praesens, sed vindicem misit filium, a quo Clyt. occideretur.[2]) occisam autem esse reginam a suo filio etiam in Stesichori carmine, id inde elucet, quod Apollo Oresti arcum tradidisse fertur contra furias (schol. Eur. Or. 268): ergo ipso iam somnio significata erat matris caedes. quo concesso nihil potest facilius intellegi, quam Aeschylum somnium suum recepisse totum e Stesichori carmine.[3]) neque persuadere mihi possum Plu-

1) etsi aetate recentiore ea res magis videtur esse adumbrata: Hecuba enim (Hygin. fab. 91) in quiete videt se facem parere ardentem, ex qua serpentes plurimos exisse: nec fit ulla mortis significatio praeter quod Erinyum signa adhibentur. atque in fraude Nectanebi magus Olympiae reginae pronuntiat fore, ut tanquam dei praecursor ei appareat primo serpens (cf. O. Weinreich, der Trug des Nektanebos 1911 p. 7): hic vero certae causae suppositae sunt (Weinreich p. 8 ss., qui addit p. 12: «der schlangengestaltige Gott, der einen Sohn erzeugt — das ist hellenischer Mythos»).

2) hoc loco mentionem facere mihi liceat *Νεκυίας*, quam Gruppe [griech. Mythol. p. 702; Ettig, Acheruntica 1891 p. 278—82] praedicat exstantem eo Nostorum loco, ubi Orestes consilium inierat patris ulciscendi. quo ex argumento poetae posteri sumpserunt illam fortasse scaenam, cum Orestes in patris sepulcro consecrat gladium (cf. Robert, B. u. L. 169_{17}) et patrem invocat vindictae adiutorem [qua ratione inventus est ille fratris sororisque *ἀναγνωρισμός* (Robert p. 166 ss.)]: ita Agamemnonis manes constant mediis in rebus (Choe. 292: *βωμῶν τ' ἀπείργειν οὐχ ὁρωμένην πατρὸς μῆνιν*, quae verba una cum toto v. 274—96 contextu Dindorf falso in dubium vocavit; cf. Blassii edit.). quorum duorum argumentorum medium tenet spatium imago a Roberto (B. u. L. 177 s.) e vasis pictis restaurata, qua picta est Agamemnonis umbra in monumenti porticu locata, in tumulo tres Erinyes dormientes (simili modo Darius in Aeschyli Persis evadit e sepulcro). eius vero fabulae residuum est somnium ab Agamemnone missum: manes enim aut ipsi apparent aut moliuntur imagines terribiles (Gruppe p. 934).

3) sive illius fonte: spectatores quidem sine dubio id rettulerunt ad Stesichori Orestiam, quam omnibus fuisse notissimam iam supra diximus.

tarchum Stesichori verba protulisse, Aeschyli neglexisse, siquidem somnium a tragico fictum esset tanto horribilius atque accuratius praenuntium.[1]) hoc enim scripto morali auctor etsi malae conscientiae exempla affert, cui rei Stesichori somnium videtur aptius, quod rebus factis accommodatum sit, cum Aeschyli futura portendat; tamen Plutarchi omnis quaestio continetur somni immanitate, qua personae nocenti praedicta sit ultio quam crudelissima et sceleri ipsi quam maxime adaptata; quam ob causam huius quoque explicationis Aeschyleae certe memoriam repetisset aut omnino non Stesichoream exhibuisset aequae vindictae egentem. Aeschyli autem Choēphori quin usque ad Plutarchi tempora in hominum memoria viguerint, dubitari non potest. quomodo intellegitur Clytaemestrae somnium incohata tantum mentione commemorari tamquam omnibus notissimum (ὥστε πρὸς τὰ γιγνόμενα — τὸ Κλυτ. ἐνύπνιον). contra Stesichori carmen fortasse non totum Plutarchus ante oculos habuit, quod testantur verba οὑτωσί πως.[2]) quod autem duos modo versus profert, eius mos est.[3]) itaque quoniam Aeschylea species nil est nisi Stesichorea propagata, summa probabilitate apud Stesichorum exstitisse eandem concludendum est. omni igitur iure Robert utrumque somnium, et Stesichoreum et Aeschyleum, in unum complexus est (Bild u. Lied 170 s.). neque enim epicos lyricosve[4]) decent argumenta obscure dicta. immo ad nefariae mulieris, quae fingeretur a Stesichoro omni culpa obstricta, ita ut in suum ipsa filium tolleret securim (Aesch. Choeph. 888, cf. Robert p. 161), malam conscientiam excitandam atque omnibus pavoribus perterrendam conveniebat prodigium immane. sic Stesichoro contigit argumentum gravissimum,[5]) quod aetatem tulit usque ad Plutarchi tempora integrum: nisi forte probabilius est auctorem id aliunde sumpsisse neque ipsi sub oculos atque in mentem venisse colligenti Stesichori Orestiam.[6])

1) ut existimat Radermacher, das Jenseits im Mythos der Hellenen 1903 p. 128.

2) Athenaeus quidem, si Stesichori Orestia ad illud tempus exstitisset integrum, testem non invocasset Megaclidem XII p. 413 A.

3) de quo dicit Volkmann (in libro de Plutarcho conscr. 1869 p. 137): 'Plutarch verfährt mit Zitaten sparsam: er liebt es auch, Dichterverse zum Schmuck seiner Darstellung einzuflechten, aber höchstens 3—4 Verse, das Weitere wird dann, wo es nötig schien, in einer prosaischen Paraphrase beigefügt.'

4) qua in re obloquor Radermachero, Jenseits p. 128.

5) quae nimirum gravitas constare non potuit duobus tantum versibus.

6) huius enim capitis Plutarchei fontem, de quo alibi fortasse disseram, priori saeculi tertii parti tribuendum esse existimo, quo eodem tempore Megaclides iudicium tulit de ratione inter Xanthi et Stesichori carmina constituenda.

Asserendum igitur est somnium Aeschyleum, quod iam sumus pertractaturi. sed ut Aeschyli ratio recte cognoscatur, diligenter quas condiciones imposuerit toti Clytaemestrae fato, inspicere debemus.

Ac primum quidem dicendum est reginam, quamvis magna scelera ei attribuantur, obtinere tamen dignitatem mulieris heroicae. quae res pendet ex ea ratione, qua omnis trilogia Aeschylea continetur.[1])

In Homeri carminibus epicis illi somnio spatium non exstitisse iam supra vidimus; contra apud Stesichorum, grave quo totus carminis habitus dilucide illustraretur id fuisse argumentum. eodem modo etiam in tragoedia Aeschylea somnium causa est agendi gravissima, qua Electra chorusque ad sepulcrum ducantur, ubi soror recognoscat fratrem. prodigium autem hoc est: instar draconis filius ab ea ipsa genitus matri obrepit et cum lacte haurit sanguinem maternum. quae imago decet filium in matrem crudelissimum; et profecto ei comparationi a serpente obrepente sumptae satis magna inest ignominia.[2]) nec vero cur draco fingatur atque natus sit intellegitur, nisi hoc argumentum residuum credimus ex priore somni forma.[3]) sed apud Aeschylum draconis imago debilitata est. nam cum Stesichorus servaverit propriam significationem, qua mortuus ultioni provideat, ultorem impellat, media in actione constet atque ipse coram uxore perterrenda conspiciatur forma terribili; contra Aeschylea in tragoedia, etsi Agamemno, quem adiutorem praesentem advocant liberi ultionem per-

1) cf. Rohde, Psyche II 228. hac ratione Aeschylus demonstrare sibi proposuerat, ut tota Atridarum gens sub genii ultoris dominationem subiecta gravissima scelera admisisset, gravissimis poenis affecta esset, usque dum Orestes deorum auxilio expiatus poena liberaretur. itaque in fabula Aeschylea Clyt. quamvis gravibus implicetur sceleribus, tamen ei quoque quibus argumentis defendatur atque excusetur, tribuuntur. neque enim vesana et obscena libidine poeta fingit reginam incitatam ad caedem coniugis; potius communi cupiditate ulciscendi in Aegisthi societatem abripitur (Agam. 1222—6, 1577 s.). neque negat tragicus matricidium scelus esse immane detestandumque (Choeph. 1006, 1015, 1074). Clyt. igitur a genio illo gentis ultore impulsa consilium iniit mariti interimendi (Agam. 1498 ss.), et Orestes ab ipso deo admonitus gravibus minis cogitur ad matris caedem patrandam, quam quidem perficit libero iudicio. quas ad condiciones optime quadrare etiam mulieris somnium demonstremus.

2) e. gr. spectant in hostes ignavos Sept. c. Th. vv. 278, 368, 490, et Choe. 247 serpens vocatur *δεινός*. contra Orestes et Electra ipsi se conferunt cum aquilis (Choe. 245 ss.), chorus Aegisthum Clytaemestramque draconibus (Choe. 1045).

3) an quis coniecerit Orestem significari draconem, quippe qui falso nuntietur m o r t u u s, ut servus exclamet (Choe. 886): *τὸν ζῶντα καίνειν τοὺς τεθνηκότας λέγω*? quae quidem fictio artificior est pro Aeschyli rationibus ac temporibus.

fecturi, creditur causa agendi, tamen sub draconis simulacro apparet solus filius necaturus.[1]) neque imago difficilis est intellectu: ita Orestes quid sit praedictum, extemplo cognoscit (Choe. 532) et ipsa Clyt. conclamat in caede (Choe. 927): οἲ ᾽γὼ τεκοῦσα τόνδ᾽ ὄφιν ἐθρεψάμην.

Nunc quoniam somnium Aeschyleum residuum esse novimus ex priore fabula, iam licet somnia et Stesichoreum et Aeschyleum confundere in unam imaginem. ergo hanc propriam pristini temporis ponimus formam[2]): draco capite cruentato, ex quo subito exsistit Agamemno, amplectitur reginam, quae ex dracone parit draconem ex ipsius mamma cum lacte sucturum sanguinem. qua in re iam inseruimus argumentum a Sophocle demum praebitum: is est Agamemnonis et Clytaemestrae amplexus, qui quidem necessario interponitur inter utramque partem traditam: quem praebet somnium Sophocleum, ad quod nunc transimus.

Ac primum quidem iterum pauca verba facienda sunt de ratione, quam praebet Soph. de genio illo ultore.[3]) hac quoque in provincia aliter se habet atque uterque tragoediarum aemulus. neque enim tantopere ei constat opinio omnis stirpis genio ultori obstrictae; simulatque enim Orestes caedem perfecit iustam (El. 37, 70), exsecratione sublata nullae Erinyes evadunt ad matricidium ulciscendum.[4])

1) etiam in Aeschyli fictione imaginis auctorem esse ipsum regem mortuum. elucet ut e Choe. 39 ss. ita ex Eurip. Or. 618: ὀνείρατα-τἀγαμέμνονος, quae scholiasta intellegit insomnia ab Agamemnone missa; Euripides enim, qui identidem Orestem sub draconis simulacro profert, profectus est ab Aeschyli fabula (cf. O. Krausse, de Eurip. Aeschyli instauratore 1905 p. 148).

2) qua in re ducem sequimur Robertum, Bild u. Lied 171. progr. a Th. Plüss compositum a. 1900: Aberglaube u. Religion in Soph. El., inspicere non potui.

3) diversae enim condiciones discernendae sunt apud Graecos in humanitatis iustitiaeque progressu. epica aetate exeunte iam supra vidimus severissimum illud ius talionis adhibitum, quo constitueretur genius ultor numquam sedatus nisi exstincto toto genere ei obstricto. quae ratio non iam conveniebat ad Aeschyli humanitatem magis eruditam: iustam enim caedem existimabat expiabilem. sed illis temporibus omnis Atheniensium cultus mirum quantum progressus est: Euripides plane impetum facit in institutum obsoletum, cum dicit de Pelopidarum exsecratione (El. 737): λέγεται· τὰν δὲ πίστιν σμικρὰν παρ᾽ ἔμοιγ᾽ ἔχει. inter quos intercessit Soph., qui ad omnem usum cultumque transtulit mediocritatem.

4) nec Sophocleis in tragoediis, quae res actionem moveat et regat, proficiscitur ex hominum voluntate aut moribus; potius δαίμων quidam homines malis obruit et impellit ad facinora quid faciant inscios. ergo Soph. genium ultorem Aeschyleum etsi novit [El. 504 ss.: alia quidem res est atque Aeschyli ἀλάστωρ, qui gloriatur scelestis gentilibus ab ipso incitatis, Agam. 1185 ss. 1475 ss. Choeph. 575 s.], tamen tetralogiarum perpetuitate Aeschylea soluta vigens actionis momentum respuit (cf. Rohde, Psyche

His condicionibus ductus Soph. ante omnia id egit, ut unaquaque in parte Orestem cuncta liberaret culpa, matris facinus fingeret tam horribile nefariumque, ut matricidium omni immanitate sublata iustum evaderet et omnium laude dignum. ergo in reginam accumulantur quaecumque scelera possunt excogitari: vel in ipsum mortui coniugis corpus saevit (El. 444 ss.); ubi paullulum consistendum est.

Namque cum Aeschylus *μασχαλισμόν* solum, qui dicitur, exhibentem fecerit uxorem scelestissimam (Choe. 438), Soph. novam addidit ignominiam atque crudelitatem, cum profert (445 s.): *κἀπὶ λουτροῖσιν κάρᾳ κηλῖδας ἐξέμαξεν*: sanguinis maculas in necati capite exterget. qui quidem versus diversis modis intellegitur. Rohde enim (Psyche I^3 (1903) p. 326) sic rem exponit: 'nach dem *μασχαλισμός* wischt die Mörderin auch das blutige M o r d i n s t r u m e n t am Haupt des Ermordeten ab'. contra Kaibel contendit (in comment. ad El. v. 445): 'die zweite Beleidigung ist ihrem Inhalt nach klar: sie wischt die Blutflecken an ihren H ä n d e n im Haupt des Ermordeten ab'. utram sententiam sequamur, quarum utrique praesto sunt testimonia? scholiasta ad vv. 445 et 446 exhibet *τὰ ξίφη* (ed. Papag. p. 123_5) sive *τοῦ ξίφους* (p. 124_8): atqui Soph. nullum caedis instrumentum profert nisi securim (*φονίῳ πελέκει* El. 99, 195 ss., 486 s.): quare scholiasta haud proprie hunc in v. spectans verba composuit neque tantam praebet fidem huic loco declarando[1]): immo nihil certi noverat ille grammaticus, aut utrum in suo ipsius an truncati capite parricida exstingueret maculas *τοῦ ξ ί φ ο υ ς*, non in dubium vocasset.[2]) — quid si quis dixerit etiam praepositionem *ἐκ-* melius convenire ad manus quam

II 234) — quamvis diligenter singulis in rebus a Sophocle adhibeatur ius talionis severissimum (quod exposuit R. Hirzel, die Talion, in Philol. supplem. XI 1907—10 p. 433 ss. 441 ss.), simili ratione atque ab Hdto (velut II 120 ex. III 64. 109. 128 VII 133 ss., impr. 137 VIII 106). immo res humanae reguntur voluntate deorum, quorum iudiciis ac consiliis impulsi homines perficiunt, quaecunque mandata eis sunt, ita ut superorum videantur tantum instrumenta: his condicionibus condita est Sophoclis erga deos pietas, qua omnia facta aequo animo fert tanquam ab illis constituta ad hominum salutem atque ad aeternas leges conservandas; quae eadem ratio nobis occurrit etiam in Hdti libris historicis (cf. Ed. Meyer, Forschungen II 252 ss.; Rohde, Psyche 238_1).

1) eandem suspicionem confitetur Rohde l. l. de vocabulo *μασχαλισμοῦ*.

2) atque Hdti verba I 155 '*τὰ μὲν γὰρ πρότερον ἐγώ τε* (sc. Croesus) *ἔπρηξα, καὶ ἐγὼ κεφαλῇ ἀναμάξας φέρω*' ostendunt, non necessario esse intellegendum caedis instrumentum, sed potius spectandum in ipsam personam. proxime vero accedit, immo ni fallor Hdti verbis erat auctor versus Hom. Od. τ 92: *ἔρδουσα μέγα ἔργον, ὃ σῇ κεφαλῇ ἀναμάξεις*. in ea exempla scholiasta spectasse videtur.

ad securim? contra subtilioris fortasse est afferre verba non plane quadrare ad Sophocleae fabulae fundamentum, quoniam in capite bipenni percusso atque cruore perfuso non quisquam potuerit sanguinis maculas exstinguere,[1]) hoc tamen elucet Sophoclem id argumentum aliunde petisse: ac profecto res simillima nobis affertur Hdt. IV 64; Scythas enim historicus refert, cum aliquem hostem interfecissent, eius cutem capitis adhibere tamquam mantele. quae ratio confirmatur et aequa voce *χειρόμακτρον* sive *ἐκμάσσω*, quae vox a tragico adhibita pro *ἀπομόργνυμι* dialecti Atticae fluxit ex Iade,[2]) et ea re, quod utroque loco accedit ille *μασχαλισμός*, quae erat extremorum membrorum desectio[3]); eadem enim consuetudine Scythae hostibus occisis decidunt dexteram (ut Hdtus narrat illo capite). gravissimum autem probandi argumentum Soph. ipse nobis praebet: etenim tragicum eum Scytharum morem cognitum habuisse atque in suum usum convertisse, quam clarissime intellegitur e fragm. 432: *Σκυθιστὶ χειρόμακτρον ἐκδεδαρμένος*: Scythae ipsi nominantur testes. quin vero Soph. hic Hdti verba expresserit,[4]) quis est qui dubitet? probat rem M. Waiss,[5]) cum dicit (Lollingium secutus) per Hdti demum narrationem Scytharum institutiones apud Graecos palam esse factas.[6]) frg. autem istud tribuendum est Oenomao tragoediae ante a. 414 in scaenam proditae.[7]) accedit, quod a. 413 eandem capitis deglubendi consuetudinem Scythicam reddidit Euripides, atque id in Electra tragoedia (v. 241): *καὶ*

1) is scilicet actus pertinet ad superstitionem: *ὥσπερ τὰς ἐπὶ τῷ μύσει κηλῖδας ἀποτρεπόμενοι*. nec iuvat verbum *ἐπὶ λουτροῖσιν*.

2) cf. Wittekind, sermo Sophocleus 1895, p. 22. alterum iam exemplum praebetur Ichneut. (Oxyrh. Pap. IX 45) col. VI 8: *μάλθης ἄναγνα σώματ' ἐκμεμαγμένα*.

3) planius egit de hoc more Rohde l. l.; cf. etiam Suid. v. *ἐμασχαλίσθη· Σοφοκλῆς Τρωίλῳ πλήρη μασχαλισμάτων* (= fr. 566) *καὶ ἐν Ἠλέκτρᾳ*.

4) *ἀποδείρει τὴν κεφαλήν — ἅτε χειρόμακτρον ἔκτηται*.

5) qui disserit de Ponti oris in Sophoclis tragoediis exhibitis, in Studiis Vindob. 26 (1904) p. 4.

6) namque etsi Scytharum nomen Atticis non erat ignotum, cum Scythae afferrentur vel milites reipublicae custodes, velut schol. Aristoph. Lysistr. 184 exhibet ad vocem *Σκύθαινα· τὴν ὑπηρέτιν λέγει. Σκύθας γὰρ καὶ τοξότας ἐκάλουν τοὺς δημοσίους ὑπηρέτας ἀπὸ τῆς ἀρχαίας χρήσεως*, et Sophoclis ipsius fr. 394 (*Ναυπλίου καταπλ.*): *ὡς ἀσπιδοῦχος ἢ Σκύθης τοξεύμασιν*. tamen K. Neumann (die Hellenen im Skythenland 1855 p. 102 ss., primus quod sciam, postea C. Krauth, Fl. Jb. 141 (1890) p. 11) praedicat, cum quaecumque gentes a Ponto Euxino spectarent in septentriones, prioribus fuerint Scythae, Hdtum demum hoc nomine uti in uno populo certo.

7) eadem in fabula quod afferuntur procorum capita super valvas fixa (Hyg. f. 84, cf. schol. Pind. Isthm. IV 92, ubi diligentius vocantur *κρανία* i. e. calvae), poeta nonne iterum respexit Hdtum, quid facerent Scythae

κρᾶτα πλόκαμόν τ' ἐσκυθισμένον ξυρῷ. nonne certa quaedam ratio exstat cum Electra Sophoclea et Oenomao paulo ante, ut videtur, edita?[1])

Sed revertamur ad eam quaestionem, unde digressi sumus: Sophoclea in fabula Clytaemestrae omnia scelera imponuntur, recusantur omnia excusandi argumenta; uxorem adulteram magis libidinosamque fingit poeta quam filiae immolatae vindicem (El. 197, 585 ss.); et ut regina omni culpa oneratur, ita filius liberatur. primae enim partes agendi tribuuntur Electrae miserrimo fato tabescenti; immo nuntio fratrem esse mortuum allato solam poenas se profitetur repetituram. ergo quod factum audet femina cum vitae periculo, cur vereretur is, cui parricidi ultio mandata est lege divina? ita Orestes adeo non dubitat, quin patrem ulcisci ius fasque inexorabile sit, ut maxima cum stabilitate atque constantia permaneat in proposito susceptoque consilio: ac profecto evadit insons. quam in rationem non quadraret imago draconis. draco enim Sophocli quoque instar est portenti sive monstri,[2]) et dracones inferorum a poetis (velut ab Eurip. El. 1345 et Iph. Taur. 286) appellabantur Erinyes, quarum mentio apud Soph. nequaquam fieri debebat. immutavit autem debilitavitque tragicus formidinem terroremque somnio Aeschyleo iniectum, quod ei opus erat species ambigua.[3]) nam si draco apparuisset mortifer, matri non iam ulla

cum occisorum hostium calvis superioribus, narrantem? nam etsi priores (Pindarum et Bacchylidem appellat scholiasta l. l.) noverant morem capitum in templis ornandis infixorum, hac quidem in fabula primus adhibuit Sophocles, si quae fides habenda est scholio laudato. — ceteroquin Hdtum secutus est Isigonus Nicaeensis apud Plinium (nat. h. VII 2): 'Anthropophagos — ossibus humanorum capitum bibere cutibusque cum capillo pro mantelibus ante pectora uti'.

1) Electra Euripidea compluribus vocabulis singulis redintegrare videtur Sophocleam (vide infra).

2) idem fere fundamentum quod somnio Aeschyleo subicitur Antig. v. 531 s.:

σὺ δ' ἣ κατ' οἴκους ὡς ἔχιδν' ὑφειμένη
λήθουσά μ' ἐξέπινες —. maxime autem nostra interest inspicere verba Clytaemestrae El. 784—6: — *ἥδε γὰρ μείζων βλάβη* (scil. Electra quam Orestes)

ξύνοικος ἦν μοι τοὐμὸν ἐκπίνουσ' ἀεὶ
ψυχῆς ἄκρατον αἷμα. namque speciei Aeschyleae exemplar est perspicuum. unde optime Sophoclis in hoc dramate exornando ratio cognoscitur: a fratre scilicet culpa ignominiaque transferuntur in sororem, etsi imminuuntur ac paene exstinguuntur eo, quod pronuntiantur a regina scelestissima.

3) omne enim audientium studium ab ipsis rebus gerendis deducitur ad poetae artificium, quo Electrae consilium a natura muliebri abhorrens

dubitatio superfuisset, neque Electrae, quam dedecuisset signo apertissimo diffidere, fiducia erat concutienda, neque poeta summa cum sapientia instituisset Electram falso de fratris nece nuntio et ipsam deceptam: ita vero plangentem eam videmus; cui invento debemus celeberrimam illam et mollissimam Electrae lamentationem fratris cineres manibus complexae. neque Chrysothemis perspicua de imagine certior facta communicavisset cum sorore,[1]) quippe quam quo animo in matrem esset infesto, haud ignoraret: potius sincera et integra intercedebat inter matrem et filiam; alioquin aut sacra in patris tumulo facienda non suscepisset aut susceptis a sorore non esset prohibita.

Ergo Soph. totius tragoediae condicionibus coactus pristinam somni formam respuit et Orestem ut omni matricidi culpa, quae magis incideret in Electram res molientem, ita etiam draconis simulacro crudelissimo liberavit. quid autem illius in locum invenit?

Sophoclea specie (El. 417 ss.) duae imagines confunduntur prorsus diversae neque ullo modo cohaerentes. etenim primo Agamemno reversus coniugis munere fungitur, contra in altera somni parte fingitur arbor crescens e scipione frondescente: neutri vero parti per se ullum inest periculum; significari enim poterat specie altera aut genus Aegisthi, cuius in manibus tunc Agamemnonis scipio esset, sempiterno regno confirmari, aut solum scipionem ab Agamemnone conditum, i. e. eius stirpem, fore ut crescat atque floreat. certe ex ea modo re, quod Agam. denuo scipionem reprehendit, nulla formidinis causa praebetur; et mala tantum facinoris conscientia Clyt. perterretur, ita ut quicumque casus offertur, credat periculosum[2]): sic intellegenda sunt verba (v. 427) **τοῦδε τοῦ φόβου χάριν**, quae ex reginae sententia rem ancipitem trahunt in partem malam. eodemque modo Electra chorusque salutis spe elatae rem interpretantur secundam, cum Chrysothemis, quippe quae simplicioris animi sit, nihil mali suspicetur, et Electra, quae multos per annos deorum auxilium exspectaverit, fortuitis quoque causis graviorem vim inesse conicit, ita ut matris somnium, priusquam quale sit cognoverit, existimet indicium a deis missum, et quod matrem perterruerit, sibi ipsi opportunum.

Atque ipsa Clyt., quid somnium sibi velit, dubitat. quare a Phoebo

reddat probabile. qua arte Sophoclea subtilis quaedam continetur sollertia, cum poeta quo propius impendeat Orestis factum, eo minus matrem sororemque, quin vindex, quem exspectaverint, mortuus sit, faciat dubitantes, quae res fieri plane non potuit nisi priore somni forma immutata.

1) sic ipsam hanc somni formam lenem ancipitemque regina sollicitata nemini profitetur nisi Soli.

2) ipsa profitetur perpetuam animi anxietatem v. 780—2.

precatur, ut prodigium ambiguum[1]) vertat in partem secundam. quomodo efficitur, ut cum in suorum ipsius liberorum caput detestetur iram deorum, praefracto animo persistat in scelere nefario usque ad vitae exitum. atqui quod Kaibel (in comment. ad El. Soph. p. 172) contendit: 'die Abänderung des aischyl. Traumes, so dafs er doppeldeutig wurde, ist diesem für Klyt. charakteristischen Gebete zuliebe von Soph. erfunden', equidem improbo. nam totius fabulae condicionibus postulata erat mutatio illa gravissima. contra eadem imagine significatur etiam id fore, ut hac iusta caede perpetrata stirps Agamemnonis non novis sceleribus implicetur, sed omni culpa exstincta denuo efflorescat.

Nunc vero demonstrabimus Sophocleae speciei formam revera a Sophocle demum reginae esse tributam. namque prioris quoque imaginis residua indagari possunt: *δεινὰ* enim *ὄνειρα* a choro vocata (v. 500) non tam quadrant ad hoc somnium lene[2]), quam in illum draconem, qui Choe. 248 appellatur *δεινός.*[3])

Quod vero valere mihi videtur plurimum, id est quod in somnio Sophocleo duo membra nobis praebentur et ab exteriore et ab interiore parte disiuncta. nam primum quidem Agamemno ipse reversus amplectitur uxorem; quod cur fecerit, non intellegitur, nisi hoc argumentum e priore fabula petitum esse meminimus. neque enim e solo concubitu Clytaemestrae oritur ullum periculum.[4]) tum verbo *εἶτα* altera pars plane dissolvitur a priore.

Sed ea quoque altera species per se non satis perspicua est; neque enim quod discrimen instet reginae, clare intellegitur, nisi animum advertimus ad Hdti historias, ubi (I 108) hanc narrationem invenimus prorsus eandem, quae exstat apud Soph.: Astyages, rex Medorum, vidit per somnum e gremio Mandanae, quae filia nupserat Cambysi, viro Persae, vitem germinantem et totam Asiam obumbrantem. quam speciem Magi ita interpretati sunt, ut filiae partum pro

1) cf. El. 645 *φάσματα δισσῶν ὀνείρων* et schol.

2) paulo ante v. 480 dictum *ἁδυπνοων*, quod quidem adiectivum potius spectat in chori affectationem animi spe elati.

3) etiam v. 1389 ss. melius conveniunt priori tractationi, ex qua aperte impendere caedem efficiatur. neque enim ibi *ὄνειρα* pertinent solum ad animi opinationes et de futuro exspectationes, potius animus revertitur ad v. 498 ss. (cf. Kaibelium ad v. 1398). — de v. 784—6, quibus tanquam draco reginae sanguinem obducens significatur Electra, iam supra disseruimus p. 22_2.

4) nam etsi eum, qui aliqua cum mortua concubuerit, ipsum quoque morti destinatum esse vulgo erat persuasum, tamen hoc loco praedicenda erat caedis vindicta.

illo regnaturum esse dicerent. quo quidem loco claris verbis exhibitum est ex matre oriundum esse periculum, nec vero ipsi matri filium moliri calamitatem. ac profecto id tantum potest concludi e tali specie: quem mater sit paritura, eum omnium terrarum imperium sibi esse paraturum; eodem enim modo Suetonius[1]) (in vita Augusti c. 94_4) narrat, Atiam priusquam pareret, somniasse intestina sua ferri ad sidera explicarique per omnem terrarum et caeli ambitum[2]): iam videmus hac imagine praedici summam felicitatem neque calamitatem matri ei, cui id somnium contigerit. aliter autem res se habet apud Sophoclem: Agamemno enim cum uxorem amplexus sit, sceptrum olim suum, tunc Aegisthi in foco infigit, ex quo frondescente germinat ramus totam Mycenaeorum terram inumbrans: quo prodigio per se nihil periculi significatur matri, quoniam eodem iure intellegi possunt liberi, quos genitura sit ex Aegistho, cuius in manibus tunc erat sceptrum. circumspectis demum omnibus rebus per

1) Asclepiadis Mendesii Theologumenon libros ni fallor secutus.

2) Ranke (op. vol. 35[4] 1877 'die Osmanen u. die spanische Monarchie im 16. u. 17. Jh.' p. 3) refert de primordiis Osmanorum et gentis auctore: 'aber schon er (sc. Osman) habe eine Vorahnung der künftigen Größe seines Hauses gehabt: im Traum habe er aus seinem Nabel einen Baum aufwachsen sehen, der die ganze Erde überschattete.' atque apud ipsum Hdtum similem Xerxis speciem invenimus (7_{19}): *ἐδόκεε ὁ Ξέρξης ἐστεφανῶσθαι ἐλαίης θαλλῷ, ἀπὸ δὲ τῆς ἐλαίης τοὺς κλάδους γῆν πᾶσαν ἐπισχεῖν*; sed quoniam imminens pronuntiatur calamitas, adicitur: *μετὰ δὲ ἀφανισθῆναι περὶ τῇ κεφαλῇ κείμενον τὸν στέφανον.* item Ovidius Romuli Romam condituri prodigium sic composuit (Fast. $3_{31\,ss.}$):

'inde duae pariter, visu memorabile, palmae
surgunt. ex illis altera maior erat.
et gravibus ramis totum protexerat orbem
contigeratque sua sidera summa coma'.

aliter iudicandum est de simili signo, quod Schiller (Braut v. Messina II 5 et IV 4) Isabellam facit enuntiantem: 'als ich mich Mutter fühlte dieser Tochter, da träumte ihrem Vater eines Tags, er säh aus seinem hochzeitlichen Bette zwei Lorbeerbäume wachsen — zwischen ihnen wuchs eine Lilie empor, sie ward zur Flamme, die der Bäume dicht Gezweig ergriff und um sich wütend schnell das ganze Haus in ungeheurer Feuerflut verschlang'; hic enim ut apud Artemidorum Onirocr. V 62: *ἔδοξε γυνὴ ἐκ στήθους αὐτῆς πεφυκέναι πυρῶν ἀστάχυας καὶ εἰς τὴν φύσιν αὐτῆς ἐπικλωμένους πάλιν καταδύεσθαι*, quod herba non crescit terram obumbratura, exitus indicatur funestus. denique afferre mihi liceat vernaculos quoque versus, quos inveni in carminum popularium corpore dicto „Zupfgeigenhansl“ [8] 1911 p. 69: 'und unser lieben frauen, der traumete ein traum: wie unter irem herzen gewachsen war ein baum. und wie der baum ein schatten gab wol über alle land, herr Jesus Christ der heiland, also ist er genannt.'

Agamemnonis prolem Aegisthi imperium vitamque reginae appeti cognoscitur: quae ratio indaganda sane indiget interpretum, qui apud Aeschylum invocantur ad perlucidum illud somnium inquirendum (Choe. 38 ss.). tales autem imagines obscurae ac scrupulosae minime decent famam popularem (contra draconis simulacrum certam prae se fert vetustatem), sed profectae sunt ex artificio.

Itaque quin Hdtus hoc loco Sophocli fuerit exemplo, dubitari non iam potest. quae ratio aliis quoque argumentis affirmatur, quamquam in paucis illis verbis sermonis similitudines non sunt exspectandae, nisi forte affers apud utrumque scriptum esse *τὴν Ἀσίην πᾶσαν* sive *πᾶσαν τὴν Μυκηναίων χθόνα*, atque eandem fere exstare verborum constructionem (primum sententiam principalem *ἐδόκεε δέ οἱ ἐκ τῶν αἰδοίων φῦναι ἄμπελον — ἔκ τε τοῦδε βλαστεῖν θαλλόν*; tum adiunctam: *τὴν δὲ ἄμπελον ἐπισχεῖν τὴν — ᾧ κατάσκιον γενέσθαι*). fortasse etiam verba *ἐπισχεῖν* et *κατάσκιον*[1]) cohaerent per sonum litterarum: qua voce utraque continetur summa rei.

Imagini vero ex Hdti libro assumptae Soph. novum addidit argumentum eo, quod Agam. sceptrum suum foco infigit, quo argumento divellitur species apud Hdtum simplex.[2]) cur non ita, ut apud Hdtum, arbor fingitur prosiliens e gremio uxoris? quod ea specie summus matris honor significaretur. sceptrum autem fortasse profectum est e verbo Hdteo *βασιλεύσειν*. arbore quidem illa semel posita nusquam ad traditam viam erat reditus, ut ex angue procreetur anguis. hoc autem certum est: illud prodigium multo melius quadrare ad condiciones Hdteas, quippe quibus mater ne minime quidem in periculo versetur.

Ergo omnibus rationibus, ut Sophoclem suam Clytaemestrae somni formam prompsisse ex Hdti historiis constituamus, adducimur. atqui iam aliud argumentum restat: etenim Euripides, unde Soph. sumpsisset illam fabulam, sine dubio haud ignorabat.[3]) ita ipse aggressus ad illum locum Hdteum assumpsit e cap. 107, in quo fundamento exstrueret suam Electrae tragoediam. illo enim historiae con-

1) cf. Meisterhans, Gramm. d. att. Inschriften[3] 1900 p. 76_8: 'der Wandel von *κ* in *χ* und *χ* in *κ* schließt spirantische Geltung von *χ* für die klassische Zeit aus'.

2) huic sceptri frondescentis imagini conferri potest Achillis iusiurandum, Hom. Il. A 234.

3) etsi ipse revertit ad priorem somni formam, cum exhiberet de Oreste (Or. 479 et 1423): *ὁ μητροφόντης δράκων* et de Pylade (Or. 1406): *φόνιος δράκων*; item Lycophro (Alex. 327) Agamemnonem vocat draconem (cf. Wilamowitz, Herm. 18_{255}): his quoque causis Sophoclis formam ab ipso demum esse introductam probatur neque ab aliis acceptam.

textu Astyagem narratur, ne quod periculum sibi exsisteret e filia, Mandanen in matrimonium dedisse cuidam Persae (quae gens procul a sede regia incolebat in finibus imperii Medici), quem virum repperit *οἰκίης μὲν ἐόντα ἀγαθῆς, τρόπου δὲ ἡσυχίου, πολλῷ ἔνερθε ἄγων αὐτὸν μέσου ἀνδρὸς Μήδου*[1]): huic nuptum dat Mandanen *ἐοῦσαν ἤδη ἀνδρὸς ὡραίην*, neque vero *Μήδων τῶν ἑωυτοῦ ἀξίων οὐδενὶ διδοῖ γυναῖκα, δεδοικὼς τὴν ὄψιν*. Euripides autem fabulae suae fundamentum iecit hoc (prologo expositum continua oratione vv. 20ss.): *ταύτην* (sc. *'Ηλέκτραν*) *ἐπειδὴ θαλερὸς εἶχ' ἥβης χρόνος, — δείσας μή τῳ παῖδας Ἀργείων*[2]) *τέκοι — Αἴγισθος οὐχ ἥρμοζε νυμφίῳ τινί. ἡμῖν δὲ* (sc. *αὐτουργῷ* in finibus regni Argivi habitanti: v. 96) *δίδωσιν 'Ηλέκτραν ἔχειν δάμαρτα, πατέρων μὲν Μυκηναίων ἄπο γεγῶσιν· λαμπροὶ γὰρ εἰς γένος γε, χρημάτων γε μὴν πένητες, ἔνθεν ηὑγένει' ἀπόλλυται· ὡς ἀσθενεῖ δοὺς ἀσθενῆ λάβοι φόβον. εἰ γάρ νιν ἔσχεν ἀξίωμ' ἔχων ἀνήρ* —: quin Euripides hoc prologo expresserit fabulam Hdteam, dubitari non potest.[3]) qua e ratione etiam alicui difficultati criticae nova lux affertur, dico v. 22: *δείσας δὲ μή τῳ παῖδας 'Αργείων τέκοι Ἀγαμέμνονος ποινάτορας εἶχεν ἐν δόμοις*, quam codicum omnium lectionem addubitavit Porson, cum coniecit (ad Med. 5): *παῖδ' ἀριστέων — ποινάτορ' εἶργεν ἐν δόμοις*[4]): quae coniectura a plurimis editoribus recepta est.[5]) atqui de voce *'Αργείων* tradita ne dubites, respice ad caput Hdteum, ubi

1) cf. c. 91: *Κῦρος — ἐγεγόνεε μητρὸς ἀμείνονος, πατρὸς δὲ ὑποδεεστέρου.*

2) editt. praebent *παῖδ' ἀριστέων.*

3) convenit Electram Euripideam posteriore demum aetate (a. 413) compositam esse, cum Hdti historiarum l. I praesto iam erat litteris conscriptus. — tragicum ad hanc tantum scaenam exornandam id argumentum sumpsisse comprobatur trag. Orest. v. 1658, quo nuptiarum cum agricola initarum mentio non fit, etsi fundamentum positum erat Soph. iam trag. v. 961—6, quibus Electra queritur, quod ab Aegistho, ne filios pariat ultores, impeditur, ut etiam Electrae veriloquium traditur *ἄλεκτρος*. — ubi satis habeo commemorare etiam Alcumenae fabulae ab Euripide tractatae fundamentum, quod is demum instituit ita, ut regina a marito irato rogo imposita servaretur imbribus a Iove immissis (cf. Engelmann, archaeol. Stud. zu d. Trag. p 52—63) promptum esse (mea quidem ex sententia) e fama Hdtea (I 86 s.), qua Croesi rogus ardens exstinguitur Apolline intercedente (hoc de prodigio cf. etiam Rohde, griech. Rom. 392_3). alios locos, quibus Eurip. Hdti auctoritatem secutus esse videtur, collegit W. Nestle (Untersuchungen über die philosoph. Quellen des Eurip. 1901 = Philol. suppl. 8 p. 652 ss.).

4) his verbis: 'corrupta vox *Ἀργείων* sensui repugnat'; quem secutus Hartung (in comm. ad El. Eur. 1850 p. 145 s.) rem accuratius exposuit.

5) Paley quidem exhibet: *παῖδ' ὑπ' 'Αργείων* —.

conferenda sunt verba: *Μήδων μὲν τῶν ἑωυτοῦ ἀξίων οὐδενὶ διδοῖ γυναῖκα, — ὁ δὲ Πέρσῃ διδοῖ*, i. e. Medorum quidem, quippe qui ab ipso non sint alieni, nemini eam dat in matrimonium, sed Persae cuidam: eadem enim ratione Aegisthus contemnit maritum Argivum, *οὐδ' ἥρμοζε νυμφίῳ τινί* (v. 24), sed eligit eum, qui *πατέρων μὲν Μυκηναίων ἄπο γεγῶσιν* (v. 35).

et cum illa editorum mutatio sane sit gravissima, equidem potius alteri alterius versus parti mendum inesse crediderim,[1]) coniecerim: *ποινάτορας, σφ' εἶχ' ἐν δόμοις* vel *εἶχεν δόμοις.*[2])

Itaque facere non possumus, quin Sophoclem suam Clytaemestrae somni formam transtulisse constituamus ex Hdti libris historicis. et profecto utriusque loci condiciones esse easdem evidentius est, quam ut rationem inter utrumque exstare artissimam negari possit. qui locus in eo quoque tenet principatum, quod adhuc nemo illos versus Sophocleos credidit suppositos: tota enim fabula sine eis stare non potest. ex Hdti autem narratione assumptos esse versus clarius est, quam ut aequalium quemquam potuerit effugere: neque clam Soph. id argumentum subduxit Hdto. quod vero consilium, cum locum Hdteum exprimeret, poeta inierat, id erat, ut memoriam repeteret cuiusdam narrationis omnibus notae ac gratae. quod autem expetebat, ut amicum cum afferret, honoraret, assequi non poterat, nisi illam narrationem plerisque spectatoribus notissimam esse confidebat. sed haec una fortasse restat dubitatio: ut iam argumentum Sophocleum profectum esse concedatur ex Astyagis somnio, quid si depromptum est non de Hdti, sed alius cuiusdam historiis persicis? atqui primum ne minime quidem verisimile est Hdtum, quem usque in Medorum fines pervenisse constat, alio quodam scriptore graeco, cum Persarum fata usque ad id tempus in Graecia non tam fuissent nota, adeo esse usum, praesertim cum illius fabulae tempora non multum essent remota, forma autem deberetur fictioni posterorum, quibus id propositum erat, ut Persarum gentem regiam adnecterent ad Medorum reges.[3]) ac profecto hoc quoque concedere debemus: amicitia ac

1) compares quaeso v. 268: *ὡς δῆθε παῖδας μὴ τέκοις ποινάτορας.*

2) cf. Oed. R. 598 *τὸ γὰρ τυχεῖν | αὐτοὺς ἅπαν | ἐνταῦθ' ἔνι.* nisi mavis consistere in pede anapaesto: *ποινά | τορας εἶχ | εν* — confidens verbis Hephaestionis ench. V 1 p. 15 s. Consbr.

3) Ctesias enim, ut sine dubio omnes Persarum libri vere historici, res enarraverunt multo alias: Mandanen nupsisse viro Medo; contra Cyrum ortum esse Persarum genere nobilissimo (huius famae vestigia exstant etiam apud Hdtum I 111. 207 III 75 VII 11). quod quidem Tertullianus (de anima 46) addidit, cum ambo somnia ab Hdto exhibita rettulisset: 'hoc etiam Charon Lampsacenus Hdto prior tradit', oculos vertas quaeso

familiaritas inter utrumque certissimis signis probata aliquanti momenti est ad eam quaestionem solvendam: Soph. cur Hdtum amicum, cuius auxilium et testimonium ei praesto erant, respueret, proferret quemquam alienum? hoc quidem certum est: Athenienses qui quanta familiaritate ambos coniunctos esse viderent, ad quem illa significatio spectaret, haud ignorabant.

Qua ex ratione inter Hdtum et Sophoclem probata quid possumus concludere? Sophocli quidem Electram fabulam componenti sub oculis fuisse libros Hdti litteris mandatos non plane confirmatur. etenim illa res ad primum tantum librum pertinet; tum etsi de temporibus, quibus libri Hdtei conscripti sint, adhuc sub iudice lis est, tamen hoc videtur constare non omnes libros eodem tempore esse compositos, atque etiam ante singulas historias confectas Hdtum si non cum omnibus Atheniensibus (quamquam de recitatione publica Athenis habita dubitari non potest[1])), at certe cum amicis, qui in Periclis societate et convictu versabantur, communicavisse hanc atque illam narrationem ex eis, quas indagaverat sive in barbarorum Graecorumque finibus sive ex historicorum libris. ergo Sophoclem illam imaginem cognovisse per litteras conscriptam ex hoc uno loco non sequitur. neque enim Hdti dicta a Sophocle ad verbum translata esse ita constat, ut ipsum librum adhibitum esse probetur. narratio autem talis est, qualis penitus insideat in memoria audientium, ita ut Sophocli novam aliquam certae rationis speciem quaerenti illius memoria sit redintegrata. igitur hoc tantum constituimus Hdtum ante Electram Soph. compositam Atheniensibus patefecisse historias persicas. Electra quidem tragoedia quando in lucem prodierit, haud certe scimus; quamquam Sophoclea posteriorem esse Electram Euripideam (a. 413 sine dubio productam) nunc iam constat.[2]) in priorem Sophoclis aetatem ducimur etiam

ad ea, quae Ed. Schwartz (in Pauly-Wiss. encyclop. 1899 s. v. Charon no. 7) de hoc scriptore docet 'ob Charon jünger oder älter als Hdt war, ist nicht auszumachen; die conventionelle antike Literatur setzt ihn nur darum vor Hdt, weil sie alle sog. „Logographen" — für vorhdteisch hält — doch läßt sich mit einiger Sicherheit behaupten, daß Hdt den Charon nicht benutzt hat'. illas autem copias historicus Halicarnassensis hauriebat e fama populari, ita ut identidem ad Persarum historias illustrandas exhiberet insomnia mirabilia (veluti I 107, 108, 209 III 30 VI 107 VII 12, 19).

1) qua de re cf. praeter alios B. Zeitz, Bemerkungen zu den Vorlesungen Hdts. progr. 1882 (12 p.); W. Aly, Rh. M. 64 (1909) p. 637.

2) memoria dignae sunt rationes, quae intercedunt inter Sophoclis Antigonam et Electram et Oedipum Regem fabulas (cf. Wilamow. Herm. 18 p. 217; etsi Electram posuerim priorem Oedipo Rege).

magna auctoritate choro attributa[1]): ergo inter annos 435 et 430 Electram Sophocleam compositam esse censeo. tum temporis Hdti historiae conscribi certe coeptae sunt, fortasse maximam partem confectae. tum temporis utriusque amicitia in summum fastigium evecta erat, etsi Hdtum Thuriis revertisse Athenas[2]) non plane potest comprobari.

Quem vero ad finem hanc rem omnibus ex partibus accurate inspicere conati sumus, est ut ex eo fundamento qnam firmissimo exstruamus aedificium. unde cetera argumenta non iam indigent diligentiae tam accuratae in communibus rationibus exponendis, quae tacite abhinc ponuntur.

Potius animum advertemus ad id inquirendum ut poterimus certissime, num quod argumentum contemplabimur, Sophocles revera primus induxerit in fabulam exornandam. qua in re, nisi primo obtutu Sophocles probatur auctor, eo impedimur, quod Sophoclem praeter alios antiquis carminibus epicis nisum esse constat; cuius magni ac gravis generis poetici perpaucae tantum reliquiae aetatem tulerunt, ita ut ipsam fabulae historiam quoad fieri potest exponamus necesse sit.

B. DE PARIDIS ADULESCENTIA.

Talis est quaestio *de Paridis adulescentia*, quae *Ἀλεξάνδρῳ* tragoedia Sophoclea ubertim erat exposita. namque Robert, vir doctissimus, in libro, quem inscripserat „Bild und Lied“ (a. 1881 pp. 233—39), hoc quoque contendit: fabulae de Paride adulescente narrantis fuisse formas duas; quarum alteram eamque iuniorem paucis tantum fragminibus exceptis superasse et obscurasse priorem. vetustiorem autem famam fuisse eam, in qua pastorale illud in Ida domicilium nondum regia prole indignum putaretur neque ad infantis expositionem reduceretur, sed ex communi Troicorum principum vita et more regis filius patris pecora pasceret sua sponte. contra fabulam vulgarem, qua Paris propter periculum instans a Cassandra praedictum in Ida monte expositus et adultus demum fingeretur recognitus, multo post esse formatam. qui autem condiciones priores mutaret, fuisse Sophoclem, cum in usum suum verteret ea, quae Herodotus memoriae prodidisset de Cyro adulescente.

Cui sententiae alii viri docti obstiterunt, qui antiquissimis iam temporibus in carminibus epicis (i. e. in Cypriis) „vulgarem“ quam

1) cf. Muff, chorische Technik d. Soph. p. 125; nec spernendus est ordo tragoediarum cod. Laurent. praebitus, etsi Antigona postposita est Aiaci Electrae Oedipodi, quae tria dramata a posterioribus tractarentur sola.

2) quod mihi quidem Ed. Meyerum sequenti ducem persuasum est.

vocant, fabulae formam expositione amplificatam exstitisse sibi persuaderent. meum ergo est inquirere: primum quae fata perpessa sit illa Paridis adulescentis narratio, deinde num Sophocles in sua fabula expolienda usurpaverit Herodoti de Cyri infantia relationem.

Ac primum quidem quid veteres narraverint de Paridis adulescentia, sub oculos est ponendum; qua in re fontes vetustissimi sunt investigandi, quoniam recentiores, quippe qui facilius acceperint nova argumenta, non iam idem praestant.

Fundamentum autem, in quo tota Paridis fabula posita est, et unde nos quoque debemus proficisci, iudicium est, quod Paris pastor in Ida monte tulit de tribus illis deabus. namque res de Paride relatae arte inter se coniunctae sunt, nisi laxius annexa est expositionis et recognitionis fabula.[1])

Ac primum quidem Homerum non novisse expositionem, summa probabilitate confirmaverim nisus Il. $3_{39\,s}$; neque enim Hector, si modo infans morti oblatus divino tantum numine fuisset servatus, neclexisset id fatum infestum[2]); sed quoniam id solum exclamat: utinam ne esses natus! illius adulescentiam nullus casus mirificus perturbavit.

At potissimum in omnibus his mythologicis quaestionibus inquirendis subsidium nobis offertur iis libris, in quos priorum *μυθολογούμενα* confluxerunt; inter quos prima afferenda sunt Apollodori Bibliotheca (epitomaeque) et Hygini fabulae. et Apollodorus quidem, cum Paridis arbitrium referat (Epit. 3_2 Wagn.), nullo verbo tangit expositionem; contra ubi expositionem tradit (III 148—50 W = III $12{,}5_{2-5}$), arbitrium silentio transit. unde iam verisimile fit has duas narrationes esse seiungendas neque ad unum fontem referendas. nam quamquam Apollodorus eisdem atque Proclus summariis e cyclo epico excerptis usus esse videtur[3]), tamen non est, cur quin auctor (sive ipsius Bibliothecae sive mythologici enchiridii adhibiti) etiam aliunde fabulas arripuerit, dubitemus. ergo Paridis iudicium licet arcessitum sit e Cypriis[4]), expositio non videtur.

Atque Apollodorus, qui dicitur et quem exhausisse Asclepiadis Tragilensis Tragodumena constat (cf. Wagner Epit. Vat. p. 147), per

1) 'anscheinend nur erfunden, um zu erklären, wie der Hirt auf dem Ida zugleich der Sohn des Königs Priamos sein könne' (Roscheri lex. myth. III 1682).

2) quod infra iam magis probabitur.

3) ut Wagner contendit Epit. Vatic. ex Apdori Bibl. 1891 p. 169.

4) de quo carmine epico paulo infra tractabimus.

se levissimus aut potius nullus carminum epicorum testis est[1]); accedit quod cum hac Bibliothecae relatione summatim congruit scholion ad Hom. Il. Γ 325 (ubi vel disertius expositionis fabula exhibetur); quod certe non repetendum est e Cycliis et cuius subscriptione revera fons indicatur ὁ γράψας τὰ „Τραγῳδούμενα“: sequitur, ut neque scholiasta neque Apollodorus nos adiuvet in epica fabula exquirenda.

Idem fere quod ab Apollodoro, de Paridis adulescentia nobis offertur ab Hygino (fab. 91), quamvis diversae sint singulae res. atqui Hyginum, qui dicitur, fabularum argumenta hausisse e tragoediis graecis satis constat inter viros doctos; ita huius fabulae exemplar coniectatur tragoediam Euripidis esse; qua re ad pristinam fabulae formam indagandam ne is quidem mythologus quicquam potest praestare.

Quid vero dicendum est de ipsis carminibus epicis? pauca tantum fragmina aetatem tulerunt. sed praesto nobis est epitoma, quam Proclus excerpsit e Cypriis: atqui de exposito Paride ne minimum quidem affert. ubi enim rettulit dearum iudicium, statim quomodo Paris rapuerit Helenam, asserit. ordo autem a natura datus esset hic: Paris cum pastor vilis ignobilisque, qui creditur, greges pavisset, simulatque a dea victrice merces est promissa, nihil antiquius habebat sive conscius[2]) sive ignarus, quam ut in domum patriam reciperetur; et priusquam Helenam rapuit, necessario est recognitus regis filius: a qua condicione recedere non possumus. naves enim opesque ad iter Lacedaemonem suscipiendum opus erant, neque corrupit reginam pastor obscurus, cui quo abduceret raptam, non erat. contra hoc quoque certum est, quod ante arbitrium Paris agnitus non est. nam iudicium latum esse in Ida monte, artissime fabulae est insertum.[3]) quo factum est, ut Paridi inditum sit cognomen Ἰδαῖος. neque vero Paris si a parentibus recognitus esset, ad greges revertisset; — res enim est eadem atque si regis filius ab initio legitimus, i. e. ab omnibus agnitus, existimatur pastor. neque contra possunt afferri

1) delego ad Phoenicis fabulam ab Euripide ita instructam, ut filius a patre irato occaecaretur, quam famam secutus est Apollodorus III 175 W. (cf. Roscheri lex. myth. s. Phoinix p. 2404_{39} ss., 05_{34} ss.).

2) ut Dracontius rem finxit VIII 98—103.

3) cf. Welcker, Cycl. ep. II² 1882 p. 90. etiam in vasis pictis, ubi quod dearum iudicium saepissime adhibetur, mirum sane non est, hoc unum argumentum per omne tempus obtineri Wentzel (Ἐπιθαλάμιον 1890 p. 11) praedicat, quod ὑλόκομον νάπος significatur in Ida monte positum.

Ovidianae epistulae Paridis v. 51 s., quos perverse collocatos esse luce est clarius.[1])

Igitur Paris si sententia pronuntiata confestim de gregibus proficiscitur Spartam, omne per aevum agnitus est filius regis. quae res pertinet etiam ad Cypria. quod vero aliqui Proclum illam scaenam omisisse contenderunt ut leviorem, ego omni vi obsisto: nempe cunctae rerum condicioni contextuique Paridis expositio summi momenti est: iam fabula de face Hecubae matri somnio visa, dummodo vatum monitus quicquam effecerint, deinde pueri expositi adulescentia clandestina boumque defensio fortissima, postremo *ἀναγνώρισις* illa momentis vere dramaticis referta tam portentosa sunt tamque singularia, ut Proclus ea haud facile praetermiserit. accedit quod Proclus ea, quae illud, quod conicitur, argumentum antecedunt et subsequuntur, satis ubertim exposuit. et quantum ponderis isti expositioni inesset, ne Proclus quidem, cum tragici inde sumpsissent materiam, ignorabat.[2])

Atqui Welcker (Cycl. ep. II² 92), qua erat sagacitate ac divinatione, etiam in Procli epitoma Cypriorum mentionem fieri expositionis suspicatus est: nempe verbis *Ἀφροδίτης ὑποθεμένης*.[3]) attamen hoc sagacius est quam verius! neque enim quicquam aliud enuntiatur nisi Venerem ei favisse adiutricem, ut verba possint reddi: „darauf baut er sich nach der Anweisung der Aphrodite eine Flotte.“ ac profecto ut dea sibi assisteret numen gratum, optime potuit petere etiam filius regius: ita Venus Aeneam excitat comitem[4]), et Heleni vatis verbis monentibus obsistere debebat dea, quae „sponsor stat sui coniugii“ (Ovid. epist. 15_{116}).

Quibus causis adducti iam ex Procli excerptis expositionem non exstitisse in Cypriis, potius regis filium fuisse pastorem, magna verisimilitate possumus concludere. sed nova argumenta accedunt. etenim in aliis quoque carminibus de infante exposito nihil refertur. inter

1) cf. Zoellner, Anal. Ovid. p. 107.

2) quae quidem fides habenda sit Procli epitomae, adhuc sub iudice lis est. nam cum Bethe (Herm. 26, 1891 p. 593 ss. et theban. Heldenl. 33 ss.) vehementer increpuit epitomatoris auctoritatem, Wagner exstitit patronus (Jahrb. f. Philol. 145, 1892 p. 241 ss.). maxime probanda esse mihi videtur sententia, quam profert E. Romagnoli (Studi ital. di filol. cl. 9 1901 p. 35 ss.) huiusmodi: Proclum ut non ipsa carmina Cyclia, ita in manibus tenuisse periocham omni fide dignam et quae, oriunda fortasse e disciplina Aristotelica, eadem praesto fuerit illi qui dicitur Apollodoro.

3) Apollodori bibl. ed. Wagner 1894 p. 238 v. 8.

4) quae Veneris consultatio obviam nobis fit etiam in vasis pictis (cf. Welcker, antike Denkmäler 5_{436} ss.).

quae summi momenti est Colluthi Raptus Helenae, qui poeta epicus etsi sexto demum p. Chr. n. saeculo florebat, tamen exemplar adhibuit Alexandrinum[1]); atque etiam Ovidius materiam hausit ex auctore quodam Alexandrino (cf. Zoellner p. 112). sed vel longius possumus recedere: saepe iam observatae sunt similitudines, quae intercedunt inter Colluthi et Ovidii carmina et, quoad possunt restaurari, Cypria.[2]) atqui Zoellner si Ovidium ipsum adisse Cypria censet, paulo calidius iudicare mihi videtur. hoc tantum me quidem iudice potest affirmari: auctor quidam Alexandrinus, quem et Ovidius et Colluthus usurpaverunt, usus est carminibus Cypriis; ita ut, qui Colluthum Cypriorum fabulam, per Alexandrinum quendam auctorem servatam, praebere censeat, non longe absit a veritate.[3])

Atqui Colluthus quidquid de Paride perhibet, ex eo apparet hunc non tam Priami servum pastoremque clarissimae originis inscium, quam regis filium fingi patris pecora sua sponte pascentem.[4]) hanc autem fabulae formam cum a Collutho ipso inventam esse nemo credat, ne auctor quidem eius Paridem expositum in carmine suo finxit.[5]) neque haec sententia infringitur eo, quod Ovidius offert expositionem (epist. Paridis 51—2, 89—92, 361—2), quam debet aut tragoediis (sive Graecorum sive Romanorum cf. Zoellner 108 s.) aut enchiridio cuidam mythologico (cf. Wentzel p. 49): et profecto hi versus, qui agunt de expositione, vix cohaerent cum reliquis, ita ut facile cognoscantur priori fabulae inculcati, quod versuum conexus extrinsecus modo impositus est.[6]) hoc quidem certum est satis multas

1) quod Zoellner comprobavit dissertatione inscripta 'Analecta Ovidiana' 1892, Ovidiana Paridis epistula comparata; cf. praecipue pp. 56 et 114.

2) cf. Wentzel, Ἐπιθαλάμιον 13, 39 ss. et Zoellner, Anal. Ovid. p. 106—112.

3) nam Proclus, qui dubito an vere fuit quinti p. Chr. saec. Neoplatonicus, utrum ipse adierit Cypria an potius aliquo auctore nisus sit, diserte decernere non audeo, quamquam usque ad illud aevum Cypria pervenisse integra persuadere mihi non possum (cf. Christ-Schmid, griech. Lit. I 87_8).

4) quod probatur vv. 72, 104, 139, 142, 149; cf. Zoellner p. 101.

5) Colluthum enim, fidelem priorum discipulum, gravissimum illud argumentum neglexisse prorsus incredibile est.

6) accedit quod hoc Paridis expositi recognitique argumentum notissimum fuisse Romanis comprobant monumenta: identidem enim in cistis Etruscorum funebribus (quae saecc. a. Chr. n. tertii et alterius sunt) Paris fingitur a fratribus oppressus (cf. Brunn, Rilievi delle urne etrusche I_{1-34} et Schlie, Darstellungen des trojan. Sagenkreises auf etrusk. Aschenkisten), quae imagines variatae ex uno archetypo profectae sunt (cf. Baumeister, Denkm. d. kl. Alt. II 1887 p. 1161), cum ista scaena ne uno quidem monumento graeco nobis offeratur. Schwenck quidem (Mus. Rhen. I (1842) p. 635 s.) e rationibus cum gente Iulia intercedentibus celebritatem repe-

causas praesto fuisse, quibus Ovidius, ut fabulae pristinae atque Alexandrinae insereret expositionem, permoveretur; neque poetam Romanum refugisse ad Cypria, unde auctorem Alexandrinum propagaret, credibile est.[1])

Sed Alexandrinos Paridem expositum non usurpavisse, inde quoque perspicitur, quod Zoellner huic famae simpliciori duos alios poetas se adstrinxisse cognovit (p. 102 s.); Lycophronem enim et Euphorionem[2]) hanc narrationem exhibuisse in Tzetzae scholiis (ad Lycophr. vv.) accuratius relatam: cum Aesacus, ut 'mater una cum infante modo edito' necaretur, suasisset, Priamus pro Hecuba Parideque Cillam, Thymoetae uxorem, et Munippum, quem illa ex Priamo conceperat, modo utero matris editum iussit occidi. inde igitur, cum rex Aesaco vati, qui puerum interfici iusserat, non obsequeretur — certe autem alterum infantium perdere satis habuit — Paridem non expositum, sed in domo regia retentum et educatum esse Zoellner suo iure contendit elucere.[3]) etiam apud Lucianum Paris disertis verbis significatur legitimus regis filius (Deor. dial. 20_{12}), cum patris greges pascat in Ida monte (D. d. $20_{1,7}$).

Atqui posterioris Graecitatis auctores, maximopere Alexandrinae,

tiit, quod mihi videtur improbabile. potius tragoediarum auctoritas rem molita est (cf. Roscheri lex. myth. s. v. 'Paris' p. 1606 et Ribbeck, röm. Trag. p. 92), ut Brunn (Urne etrusche I) comprobat cunctas horum artificum imagines diversas repetendas esse ex Euripidis sive Enni aemuli tragoediarum memoria.

1) item ne Horatius quidem ob id solum quod Art. poet. 136 primum Cypriorum versum exhibet, totum carmen ante oculos habuisse existimandus est. immo nititur, ut in ceteris huius carminis rationibus poeticis, auctore Graeco (qui dicitur a Porphyrione Neoptolemus Parianus). quod probatur ni fallor etiam voce olim. item a prioribus iudiciis profectus neque ad ipsum Cyclum epicum aggressus est Pollianus (Hadriani aequalis), qui illudit Anth. Pal. XI 130:

τοὺς κυκλίους τούτους τοὺς αὐτὰρ ἔπειτα λέγοντας
μισῶ, λωποδύτας ἀλλοτρίων ἐπέων.

(cf. Christ-Schmid, gr. Lit. I 86_3). vel Statium Thebaidis auctorem adhibuisse carmina Cyclia negat W. Kroll (D. Litztg. 1907 p. 352).

2) Alex. 224—28, 319 ss.; Euph. fr. 150 = Serv. ad Aen. II_{32}; quorum alter priorem, uterque autem Callimachum secutus esse videtur.

3) quae fabella recentissima est et talis, qualis contaminat famam Paridis simplicem ac sinceram cum Hecubae somni eventu (alia ratione finis idem petitur in Ioh. Malalae chronogr. l. V. p. 114 Dind.) — neque haec coniectura eo confutatur, quod Lycophro alio loco (v. 138) alteram attingit memoriam, qua Paridem expositum ursa nutrivisse traditur; eiusdem enim fabulae formas e variis fontibus petitas in poemate illius *σκοτεινῷ* contaminatas esse Geffcken docuit (Hermae vol. 26 567 ss.): praesto ei erant tragoediae, quas adhibere amabat.

in rebus ad vitam bucolicam pertinentibus exornandis haud dubie sibi placebant[1]); itaque si auctores Alexandrini, quos Lycophro Euphorioque, Ovidius Colluthusque secuti sunt, Paridem intellegi haud quaquam volebant Priami servum, id hac tantum ratione potest intellegi, quod fabulam usurpaverunt vulgarem omnibusque notissimam: quae quidem carebat expositione.

Ut igitur id quod adhuc repperimus, complectamur: in Cypriis nullum expositionis vestigium invenimus atque usque ad Alexandrinorum tempora vulgaris fabula est simplex neque expositione aucta: legitimus regis filius pascit greges patrios.[2])

Hoc loco addere mihi liceat, quid de antiquae fabulae condicionibus sentiam. est quidem narrationis vere fabulosae illud argumentum infantis expositi, quem dei dignum credunt, cui sui iudicium ipsorum permittant: sic is quem homines expulerunt, a deis augetur. haud vero scio, an dedeceat antiqua tempora: epica enim carmina sunt heroica et nobilia, tanquam regum propria neque indulgent paupertati pravitatique.[3])

Neque argumentum expositionis arcessi potest ex eo, quod Paris cum deos videat accedentes, summo terrore afficitur (quod exhibet Wentzel p. 10): homines enim omnes decet vereri deorum praesentiam. atque etiam apud Lucianum (D. d. 20_7) Colluthumque, qui expositionem non usurpaverint, Paris fingitur horrore perterritus ac pavescens.

Hoc quidem cogitare non possum Paridem primo in carminibus epicis fictum fuisse infantem expositum et in omni paupertate educatum, tum autem posteris temporibus, cum profecto omnes vitae humanae condiciones, omnia hominum genera in lucem producerentur, cum tot expositionum exempla praesto essent, tum argumento gravissimi ponderis dramatici omisso confessum modo regis filium esse inductum: hic progressus omni rerum condicioni obloqueretur. contra

1) quod Zoellner quoque praedicavit p. 102.

2) ac profecto pastorale illud in Ida domicilium epicis temporibus non regia prole indignum putabatur: immo satis multa in carminibus Homericis exstant exempla illius pristinorum simplicitatis: regii pastores (velut Il. Z 25, 424 *Δ* 500 *Λ* 106, 671 ss. *O* 547 Υ 89, 188 cf. Robert p. 234), quin ipsi dei hoc munere sunt functi (ut Colluth. 311 ss., Ovid. Her. 5_{151}), regiae filiae aquantes (Bethe, theb. Heldenl. p. 71), reginae texentes; hoc tantum turpe est, si peregrino cuidam et hosti per vim servitur (ex. gr. affero Il. Z 456 coll. cum v. 490).

3) quod quidem Bethe Oedipum coniecit (voce *ζωάγρια* nisus) in fabula antiquissima educatum fuisse a pastoribus, E. Maass (Comment. mythogr. II.) eam sententiam refellit; immo minorum gentium homines in conspectum veniunt ideo tantum, ut rationes ineant cum nobilibus, ut Eumaeus *δῖος ὑφορβος*, ipse nobili genere natus, cum Ulixe domino.

inventum expositionis debetur temporibus illis, quae ad rationes humanas omnia adaptanda esse statuerint, et quae, quomodo ipse regis filius exsisteret pastor in Ida monte ab aliis dissociatus, ut intellegeretur, studuerint.

Nunc possumus accedere ad picturas in vasis nobis servatas, ut qualem fabulae formam praeberi eis cognoscamus. namque pictores ut ab omnibus intellegerentur, adhibuisse fabulas vulgares constat inter omnes.

Ac primum quidem sine dubio valde est mirandum, quod apud Italos, ut iam supra diximus, Paridis recognitio persaepe ficta est, contra apud Graecos ne unum quidem exemplum exstat (cf. Roscheri lex. myth. s. v. 'Paris' 1605): quae res iam dubitationem movet, num revera Graecis illud argumentum fuerit notum (nimirum ante tragicorum tempora!). eo saepius vero exstat in monumentis graecis dearum iudicium, quod erat inter argumenta omnibus notissima. quali autem condicioni obligatum artifices finxerunt Paridem? certe non bubulcus his in picturis fingitur paupertate oppressus et quem pastores clementia inducti sui iuris fecerint.[1])

1) neque Wentzelio possum assentiri loquenti (*'Επιθαλάμιον* p. 7, 9 cf. Degen, de Troianis scaenicis 1900, p. 22) de vilitate vestimenti, qua probetur pastor obscurus. primum enim Alexander pastor identidem pingitur indutus veste ornatissima (ex. gr. affero Furtwängl. — Reichh., griech. Vasenmalerei I 1904, p. 141 tab. 30, quam hydriam Graef, magister illustrissimus, medio fere quinto saec. tribuit). tum prioribus temporibus cum artifices minus indulgebant exornando, quin etiam ne poterant quidem vestis splendorem exprimere, dei quoque vel etiam deae (quae quidem ante iudicium summo studio atque magnificentia se ornaverant) eodem vestitu praediti nobis ante oculos versantur. non erat, cur posteriores demum neque priores stirpem regiam praedicarent. potius omnibus erat regius, quem pro sua facultate significabant. ac profecto, si qui debebant adulescentem illum indicare rusticum, erant posteri, cum condiciones arte progressa fingebantur quam verissimae, et cum ipsis tragoediis expositio propagabatur: respicias, quaeso, Euripideae (sive Ennianae) Alexandri tragoediae fragmenta: semel atque iterum pastoris paupertas ac vilitas praedicatur! pastoribus autem conveniunt beluarum pelles, imprimis caprinae, veluti Colluthus exhibet (v. 105 s.): *καί τις ὀρεσσαύλοιο δορὴ μετόπισθε χιμαίρης ἐκκρεμὲς ἠώρητο* (cf. etiam Christ-Schmid, gr. Lit. I 248_2). nunquam vero, quantum scio, a vetustioribus Paris tali vestimento indutus fingitur. nec fides, quas identidem videmus in Paridis manibus, decent tam pastorem plebeium, quam regium: pastoribus convenit syrinx, lyra heroibus. afferimus Colluthum (v. 112) canentem *ἔνθεν ἔχων σύριγγα κατ' ἤθεα καλὰ νομήων*: unde Colluthus quanto studio indulserit rebus pastoralibus, intellegitur; ac profecto etiam educationem pastoriciam arripuisset, dummodo novisset! etiam ab Euripide in Iph. Aulid. (v. 578 ss.) Paris exhibetur *βουκόλος—βάρβαρα συρίζων*, atqui hic revera *ἐτράφη Ἰδαίαις παρὰ μόσχοις*

In vasis pictis igitur Paris fingitur legitimus regis filius neque pastor obscurus, talis ergo a pictoribus et a vulgo exsistimatus est: ornatus eius est magnificus, lyra in eius manibus posita, cum pastoris munus leviter tantum tangitur. in aliqua vero pictura amoenissima[1]) pastor pictus est una cum bubus. qua in amphora italoionica quae persona ad Paridem accedit antegressus Mercurium tresque deas, Furtwängler (l. l. I 93 ss. tab. 21) sic exposuit: 'es kann wohl nur Priamos gemeint sein, der voran geht und den Weg zu seinem Sohn auf dem Ida weist'. quod si rectum est[2]), sine ullis ambagibus Paris significatur agnitus regis filius, atque id medio fere sexto saeculo[3]).

In aetatem aliquanto recentiorem pervenimus, siquidem Robert recte interpretatus est illam Brygi pictoris Atheniensis (c. annum 500) pateram, cuius de pictura interpretanda adhuc viri docti inter se disceptant. Robert enim (Bild und Lied 1881 p. 90 ss.) agnoscit Paridis reditum in domum patriam.[4]) sed Engelmanno[5]) concedimus reditui Paridis, cum non sit expositus neque recognitus, non esse cur quicquam momenti tribuatur[6]).

Sed licet haec prior Roberti de Paride adulescente coniecturae pars parum firma sit, altera obtinetur, quae est de Andromachae Euripideae vv. 293—300. Robert enim (Bild u. Lied p. 235 s.) eis verbis optime defendi censuerat coniecturam suam, nimirum Sophoclem demum Ἀλεξάνδρῳ tragoedia Paridis adulescentiam in eo mutavisse, quod fingeret expositionem, qua quomodo regis filius in montibus boum pastor exsisteret, explicaretur. quibus de versibus satis

1) quamquam prioribus temporibus habebatur parodia!

2) Holland in Roscheri lex. myth. s. v. 'Paris' p. 1609_{9} intellegit Iovem.

3) ut Graef, mag. ill., benignissime me docuit.

4) eandem sententiam Robert denuo professus est in Pauly-Wiss. Encycl. s. v. 'Brygos' a. 1897 p. 922_{43}.

5) Roscheri Lex. m. s. vv. Helena I 1968 et Kassandra II 981.

6) Sittl quidem (Gebärden d. Griechen u. Römer 1890 p. 277_{2}) quod eandem imaginem trahit in partem contrariam, cum Alexandrum intellegat manu data ab Hecuba agnosci filium, erravisse mihi videtur. neque enim filius gravissime a fratribus oppressus (nec vestimento pastorali sive itinerario indutus neque uno comite simillime exornato) recognoscitur in conclavi; potius Priamus iam ipse rem molitus est (qui una cum Hecuba in scaenam prodiit in Euripidis Alexandro, cf. Welcker, gr. Trag. II 473), Cassandra extra muros exclamavit pericula instantia. — contra Sittig (apud Pauly-W. s. Hekabe 1912 p. 2654) denuo Brygum censet fingere Paridis e stabulo Idaeo reditum ut iudicio dearum oppositum, nec novisse recognitionem in ludis perfectam. — quid vero si Paris significatur proxime ex Ida monte reversus et Aenea comite Lacedaemonem profecturus? quae coniectura probatur verbis Pindari (paean. VIII frg. 82_{20}): σπεύδοντ', ἔκλαγξε κτλ., de quibus infra.

multa verba iam facta sunt; sed semper fere in eo peccatum est, quod simplicibus poetae verbis inculcabantur argumenta extrinsecus arcessita; cum nostrum sit unumquemque alicuius scriptoris locum ex eo ipso, quoad possumus considerare. ergo si ad eos versus opinione non praeiudicata accedemus, illam tantum famam reperiemus, quae iam ad Cypria referenda est: nihil inest versibus, quo fabulae propagatio indicetur; nullo verbo commemoratur aut expositio aut recognitio. immo paulo supra (v. 287) Paris vocatur *Πριαμίδης*[1]).

Versus autem isti interpretandi sunt hoc modo (secundum Robertum p. 235 s.): frustra, ut infans necetur, flagitat Cassandra, frustra obsecrat urbis principes. non aures ei praebentur, non fides: ea est devotio ab Apolline eius vaticinationi imposita. ita puer servatur. scholiasta quidem (ad h. l.) necando opponit expositionem, cum dicit: *κατ' ὄναρ θεασαμένη Ἑκάβη, ὅτι λαμπάδα ἅμα τῷ τεχθῆναι τὸν Ἀλέξανδρον ἐγέννησεν, ἐδυσφόρει καὶ ἤρετο τοὺς μάντεις. οἱ δὲ ἔφασκον χρῆναι τὸ τεχθὲν φονεύειν. ἡ δὲ ἐξέθηκεν αὐτὸ μὴ τολμῶσα φονεῦσαι.* nec vero id erat poetae consilium, quoniam etiam Hecuba si infantem exposuit, id tantum egit, ut morti traderet[2]): ipsam expositionem, quae libuit parentibus, nihil aliud velle nisi infantis interitum, docet nos scholiasta ad Hom. Il. *Γ* 325[3]): *τοῦτο τὸ ἐνύπνιον ἀκούσαντες οἱ μάντεις καὶ οἱ περὶ τοὺς ὀνείρους δεινοὶ εἶπον τὸ τεχθὲν παιδίον εὐθέως μικρὸν ὂν ῥιφῆναι θηρσὶ βοράν*[4]). etiam in Iphigeniae Aulid. cantico (1284 ss.) diserte dicitur: ut infans necaretur, id consilium fuisse exponentium: *Πρίαμος ὅθι ποτὲ βρέφος ἔβαλε — ἐπὶ μόρῳ θανατόεντι.*

Quae autem argumenta contra hanc interpretationem proferuntur?

Primum dicitur (velut a Mayero p. 55) contextum istius cantici non ita comparatum esse, ut diversam a volgari fabulam dispiciamus. hoc profecto verum est, dummodo quae fabula fuerit volgaris, recordemur. neque vero usque ad illa tempora Andromachae Euripideae[5]) usquam invenimus expositionem: ergo ne hoc quidem loco temere

1) ubi mihi in mentem venit versus Ovidiani (Her. 5_{11}): 'qui nunc Priamides (absit reverentia verbo!) servus eras'. disertis verbis servo opponitur Priamides h. e. Priami filius legitimus. ita etiam in Cypseli arcae descriptione (Paus. V 19_1) simpliciter dicitur: *παρ' Ἀλέξανδρον τὸν Πριάμου* deas esse ductas.

2) fit expositio ne cruore nati parentes eius maculentur.

3) qui eundem quem Apollodorus fontem, sed maiorem ad modum adhibuisse videtur (cf. Mayer p. 55 adn. 78).

4) scilicet Ida mons bestiarum multitudine insignis erat; cf. praeter Homerum: Soph. fr. 469; hymn. Vener. 68—72.

5) lustro annorum 430—426 in scaenam productae, cf. schol. ad v. 445.

supponenda est. contra eodem iure, ut ab Euripide expositio evidentius significata sit, postulare possumus.[1]) potius omnibus verbis hoc unum efficitur, ut Cassandrae preces obsecrationesque prorsus inutiles fuisse nec quicquam damni infanti illatum cognoscamus; et sub verbo *κτανεῖν* auditur contrarium *σῶσαι* (Robert p. 236).

Quid autem verba (Andr. 293 s.): *εἴθε δ' ὑπὲρ κεφαλὰν ἔβαλεν κακὸν | ἁ τεκοῦσά νιν Πάριν* (*μόρον* coni. G. Hermann) sibi velint, non facile cognoscitur. dubium est, an falso interpretentur Nauck, Robert, alii cum dicunt: 'hätte doch Hekabe den Paris wie ein *κάθαρμα* über ihr Haupt geworfen, d. h. dem Tod geweiht, ohne sich umzublicken'. impugnare mihi verbum *κακόν* videtur, quo carent exempla ab illis allata.[2]) cui voci Hartungi interpretatio convenit: 'hätte doch über das Haupt ihm die leibliche Mutter Pest und Verderben gestürzt'; quo modo iam scholiastae versum intellexerunt afferentes: *εἴθε ἔβαλεν θάνατον· ἀντὶ τοῦ ἀνεῖλεν* sive *εἴθε κατεκρήμνισεν αὐτόν.*[3]) Roberto autem concedendum est ne expositionem quidem illo verbo exhibitam esse.

Iam restat versus insequens (295): *πρὶν Ἰδαῖον κατοικῆσαι λέπας.*[4]) verbum *λέπας* non est, cur suspicionem moveat.[5]) hic quoque negandum est eos, qui Roberti sententiae obsistant, recte procedere, si eam fabulae versionem, quam Robert Sophoclis Euripidisque *Ἀλεξάνδροις* tragoediis vindicavit, censent volgarem, ita ut ubicumque Paridis adulescentis mentio fiat, supposita sit expositio. contrarium est rectum: dummodo quae adhuc disseruimus, ne prorsus falsa

1) ita etiam Urlichs (Beiträge zur Kunstgeschichte 1884 p. 15), cum Roberti sententiam repellit, concedit, 'daß die v. 293—300, wenn sie allein ständen, auch so verstanden werden könnten, wie Robert will'.

2) velut Aesch. Choeph. 98 cum schol.; Verg. Ecl. 8_{102}; Theocr. $24_{91\ ss.}$

3) nec vero huc pertinere mihi videtur is ritus, quo de egit A. Dieterich, Mutter Erde p. 6 ss.; neque enim hoc loco in censu est infans humi ponendus et tollendus patri.

4) *κατοικῆσαι* pluribus neque deterioribus codicibus traditum est, nempe AbELP (cf. Weckleini edit. criticam a. 1900), contra *κατοικίσαι* habent codd. A^2Bl atque omnes fere editiones.

5) Wentzel quidem contendit (p. 56): „*κατοικίσαι λέπας* kann man nicht sagen von jemandem, den man zum Hirten macht, auf einem *λέπας* weidet keine Herde. Der Ausdruck kann nur verstanden werden von der Aussetzung des Paris auf die Felsen des Ida." sed oculos vertas quaeso ad Phoen. v. 24: Oedipus quamquam in *Κιθαιρῶνος λέπας* exponitur, suscipitur a pastoribus pascentibus: ergo *λέπας* significat locum pascuum; *λέπας* adhibetur tamquam saxa silvis obsita etiam in Eurip. Inonis fr. 411: *μικροῦ γὰρ ἐκ λαμπτῆρος Ἰδαῖον λέπας πρήσειεν ἄν τις* et in Bacch. v. 751: *Κιθαιρῶνος λέπας κατῳκήκασιν* (saxa nuda non incoluntur).

sint, Euripides apud spectatores[1]) ponere potest simpliciorem tantum fabulam.[2]) licet Cassandra, ubi primum infans partus est (Androm. 296 s.), calamitates patriae imminentes praedixerit, tamen quominus expositionem negemus (ut vult Wentzel p. 56 et Urlichs p. 16), particula *πρίν* non impedit: quae vox satis gravis est; nam propterea, quod Cassandrae non obtemperatum est, postea tempus venit illud, quo Paris in Idam montem pastor egressus iudicium tulit de deabus, unde cunctae exstiterunt res adversae (cf. Ovid. Her. 5_{33}): illa scaena toti bello troiano posita erat fundamento; omnibusque locis iudicium Paridis significatur initium cunctae, qua Troia obruta sit, calamitatis.[3]) qua ex causa cur Paridi cognomen *'Ιδαῖος* proprie sit inditum, optime intellegitur. neque ea in re Wentzel (p. 56) refugere debebat in Iphig. Aulid. vv. 1288 ss., ubi Euripidem eadem atque in Androm. vv. fabula usum esse ab initio statuit: sed id ipsum est demum confirmandum. nam ex uno verbo *'Ιδαῖος* minime quicquam potest concludi. licet enim Euripides, quamvis obscure, cognomen Idaei contulerit cum adulescentia in Ida monte peracta, tamen spectat non tam ad expositionem, quam ad illud clarissimum Paridis in Ida factum, nimirum dearum iudicium: is erat ut regis filius ita pastor Idaeus; qua ratione etiam munus pastorale eius erat proprium, quo distingueretur a fratribus; atque is electus est arbiter dearum.[4])

1) quos quidem affert externos neque Atticos schol. Androm. 445.

2) nisi forte iam tum temporis Sophoclis auctoritate factum erat, ut nova fabulae forma in volgus reciperetur.

3) ex. gr. affero Androm. 291, 298; Hec. 640 s., 647 ss.; Hel. 239 s.; Iph. Aul. 587 s.

4) sed de illis Iphig. Aul. vv. 1284 ss., ubi revera expositio usurpata est, pauca verba addenda sunt. quae quidem tragoedia extrema demum Eurip. aetate composita esse videtur. difficultas quaedam praebetur verbo codicibus tradito *ὤφειλε* (v. 1291), quod metro non convenit. plures editores mutaverunt in *ὤφελεν* [velut G. Hermann, Wecklein (ed. a. 1899)], *ὤφελες* coniecerunt Elmsley et Murray, editor recentissimus. et quidem si *ὤφελεν* accipimus, subiectus est Priamus (v. 1285), ita ut pater narretur *τὸν Ἀλέξανδρον οἰκίσαι ἀμφὶ τὸ λευκὸν ὕδωρ*: quae res spectaret in expositionem; atqui participium aoristi *τὸν τραφέντα ἀμφὶ βουσὶ βουκόλον* obstat. nam aut Priamus adultum filium in alio loco locavit ut legitimum, quae condicio accipi vetatur antecedentibus versibus: *Πρίαμος ὅθι ποτὲ βρέφος ἁπαλὸν ἔβαλε — ἐπὶ μόρῳ θανατόεντι*, aut non Priamus intellegendus est; tum vero *ὤφελες* recipiendum est: *νιφόβολον Φρυγῶν νάπος Ἴδας τ' ὄρεα*, ut superioribus versibus, ita hoc quoque loco appellatur. verba autem *οἰκίσαι* [quod est: collocare in aliqua sede, ita ut etiam a monte possit dici, sive: ut habitet quo facere (cf. Henr. Stephani Thes. gr. l. V[2] (1842—46) p. 1781)] *ἀμφὶ τὸ λευκὸν ὕδωρ* spectant non in eam regionem, qua infans expositus sit, sed in qua adultus iudicium tulit de deabus, quam rem comprobant versus insequentes; etiam supra (v. 182) *ἐπὶ κρηναίαισι δρό-*

Mayer quidem, ut Roberti sententiam refutet, provocat ad Androm. vv. 280—82 (exstantes in cantico iam tractato); his enim verbis nimis significari censet solitudinem iuvenis ab hominum commercio seclusi. hoc argumento nihil probatur, vel potius expositioni contradicitur: nam quem pastores educant, in eorum communione est, contra filius regius per se stat. etiam apud Lucianum, cum legitimus regis filius fingatur, Paris ἐν ἐρημίᾳ est (D. d. 20_{13}).

Nunc iam reliquum est, ut dicamus de sene illo, qui exhibetur in Troad. v. 921: ὁ πρέσβυς οὐ κτανὼν βρέφος. Troades eiusdem trilogiae erant atque Ἀλέξανδρος Euripidea (a. 415): ergo etiam eadem fabula erat supposita. atqui Henr. Degen[1]) novi aliquid invenisse sibi videtur. nam priores quidem[2]) nomine πρεσβύτου illum servum significari putaverant, cui Priamus, ut puerulum interficeret, mandaverit et qui infantem servarit educaritque; et profecto verba optime convenire videntur cum Hygini fab. 91, quoniam interficiendi praeceptum adhibitum est. contra Degen hic ab Euripide τὸν πρέσβυν κατ' ἐξοχήν appellari censet: Priamum. quam ad sententiam stabiliendam quae argumenta attulit, parum sunt firma. primum enim omnes antiquiores auctores inter se concinere contendit narrantes famulum a rege iussum esse Paridem exponere, non occidere. atqui si exempla exhibita contemplamur, intellegimus non tam severe posse discerni utrumque inter mandatum; puerulus enim cum bestiis exponitur praedae, morti traditur, et esset interfectus, nisi pastor obstitisset: huic igitur crimini datur, quod infans servatus est ad Troiam evertendam.[3])

σοις iudicium Paridis collocatur, et Hel. 676 et Andr. 286: id igitur argumentum vetustius videtur expositione.

1) in dissert. de Troianis scaenicis 1900 p. 21.

2) velut Robert p. 235, Ulrichs p. 16.

3) Iphig. Aulid. v. 1285 dicitur: Πρίαμος ὅθι ποτὲ βρέφος ἁπαλὸν ἔβαλε, sed additur ἐπὶ μόρῳ θανατόεντι: Priamus igitur puerulum exponi curavit moriturum, qui contra eius voluntatem servatur; tum (Ps.-)Apollod. III 150 W. narrat: Πρίαμος — τὸ βρέφος δίδωσιν ἐκθεῖναι οἰκέτῃ κομίσαντι εἰς Ἴδην. τὸ δὲ ἐκτεθὲν ὑπὸ τούτου βρέφος πένθ' ἡμέρας ὑπὸ ἄρκτου ἐτράφη. ὁ δὲ σωζόμενον εὑρὼν ἀναιρεῖται: pastor ergo revera infantem exposuit, ut occideret, et occidisset, nisi eius ab ursa nutriti miseritus esset. pastor igitur ne infans vita decederet, prohibuit, non interfecit. accedit Hygini testimonium, qui si non Euripidis, at certe tragici cuiusdam fabula usus narrat: '— Alexander datur interficiendus.' neque obloquitur scholiasta (ad Andr. v. 293) tradens: ἡ δὲ (scil. Ἑκάβη) ἐξέθηκεν (exponi curavit) αὐτὸ μὴ τολμῶσα (ipsa) φονεῦσαι, καὶ αὐτὸ λαβὼν ποιμὴν ἐν τῇ πήρᾳ τέθεικεν, ὅπως διατρέφοι; pastor infantem morti subduxit [hoc scholium repetendum esse e Sophoclea fabula infra videbimus]; his omnibus enuntiatis convenit versus Androm.: pastor infanti, quem, ut e vita tolleret, acceperat, pepercit.

praeterea *πρέσβυς* non cognoscitur Priamus.[1]) ergo omnino non est, cur illo loco (Troad. v. 921) sub *πρέσβυς* cognoscamus Priamum, sed profecto senem illum ad caedem perpetrandam electum. hoc quidem ex illo versu elucet eundem, cui infans traditus esset necandus, servasse eum, et quantum ille *πρέσβυς* valuerit in prima trilogiae tragoedia.[2])

Sed quod assecutus esse mihi videor, hoc est: quin Euripides in Andromacha tragoedia usurpaverit fabulam vulgarem, i. e. expositione carentem, non est cur dubitemus: etsi amplificatam quoque famam, dummodo iam tum ficta fuerit, illis versibus intellegi posse, non prorsus est negandum.

Nisi his forte rationibus aliam ad sententiam adducimur: hac enim inquisitione iam ad finem perducta in manus meas pervenit Pauly-Wiss. encycl. vol. VII 2 (1912), cuius sub verbo Hekabe Sittig e Pindarici paeanis VIII. nuper inventi fr. 82 (Oxyrh. Pap. V 1908), quo Hecubae somnium significaretur, conclusit (p. 2654_{39}, 56_5 ss.) iam ante Sophoclis tragoediam exstitisse Paridis expositionem. neque vero illud argumentum tam certum est, quoniam in ipso fragmento mutilato de expositione aut recognitione nihil invenitur. contra equidem inde novum subsidium sumo ad Roberti sententiam fulciendam. Cassandra enim clamorem funestum edit, cum Alexander profecturus est in Graeciam.[3]) ergo vates divino numine inflammata si tum demum somnium, quo olim Hecuba perterrita sit, prodit, non paulo ante eadem, ne frater expositus in domum patriam reciperetur, monuit; eo enim in discrimine periculi instantis vaticinium sine somni interpretatione locum non habebat. negandum igitur est quam certissime ante iter in Graeciam institutum intercessisse *ἀναγνωρισμόν*.[4])

1) nam quod Hec. v. 161 pro nomine Priami substituitur *πρέσβυς*, res aliter se habet, quoniam non tanti interest Priami ipsius, quam filiorum maritique tutoris amissorum, et Hecubae unus tantum in censum venire potuit; contra Troad. 41 iure exhibetur: *φροῦδος δὲ Πρίαμος καὶ τέκνα*, quamquam versu superiore et Hecuba et Polyxena memoratae iam sunt.

2) Apollodorus, qui spectat in Euripidis fabulam, *οἰκέτην* eum, qui infantem exponit, servatum post quinque dies recipit, nominat *Ἀγέλαον*, quod nomen perlucide singnificat pastorem (a voce *ἀγέλη*). haud scio utrum inde fluxerit nomen, quod servavit *ὁ γράψας τὰ Τραγῳδούμενα* (in schol. Il. Γ 325): *ὁ θρέψας τὸν Πάριν νομεὺς Ἀρχιάλας ἐκαλεῖτο* (C. Müller quidem FHG III 303 fr. 11 scribere mavult *Ἀγχίαλος*, Welcker: *Ἀρχέλαος*), an potius id verbum repetendum sit e Sophoclis memoria.

3) cf. l. 20: *σπεύδοντ' ἔκλαγξε* c. editorum adnot.

4) nunc iam altius facimus et in Cypriis p. 17_{11} Ki. et apud Ovidium ep. 16_{119} ss. fatidicam fratri obstitisse eo tempore cum erat profecturus (cf. Wentzel p. 16, Zoellner p. 110).

ex eo quidem, quod visum horridum enuntiatur a Cassandra, nescio an concludi possit eandem tum quoque cum prodigium eveniret, interfuisse et parentes ut filiolum interficerent, admonuisse: hoc satis verisimile videtur ob verba *ἔσφα]λε προμάθεια* (l. 35 c. adn.). — Quae si ita sunt, proxime huc accedit fabula ab Euripide in illo Androm. cantico exhibita, ubi summa est rerum, quod frustra vates furibunda preces minasque eicit de Paride modo edito.[1]) sed ut has rationes perspiciamus, accuratius discernendum est inter duas fabulae formas. namque Euripides, qui Cassandram fingat postulantem, ut frater infans necetur, prorsus dissentit ab Apollodori fabula, qua Hecuba primo Hectoris partu edito iterum praegnans somnio illo clarissimo est perterrita; et post Paridem demum ceteri liberi et Cassandra nati sunt.[2]) utra vero forma sit vetustior, his forte rationibus constituitur: Cassandram ut primum divinatione praedita esset, etiam ab Apolline ne quis ei fidem haberet devotam esse, constat inter omnes quasi pars eius intima: ea est 'dei iussu non unquam credita Teucris' (Verg. Aen. II 247), quae de se ipsa queritur apud Aeschyl. Agam. 1211: *ἔπειθον οὐδέν' οὐδέν.* nil mirum, quod in Euripidis Androm. omnes preces obsecrationesque eicit inanes; neque Paris exponitur (quae expositio sibi voluisset mortem infantis): aut consilium fatidicae prospere cessisset. alteram partem mirum sane est, si eadem et post partum et in recognitione et ante profectionem Lacedaemonem commissam easdem minas edidisset, sed primum tantum aliquid effecisset, tum deerrasset. potius ubi primum pueruli expositio in famam inculcata est, Cassandra recessit, cuius vaticinium a partu fratris delatum est in *ἀναγνώρισιν* illam; Aesacus et Apollinis oraculum prodierunt somni interpretes, quorum responso oboediendum erat; cum optimo iure, quoniam Paris proprie erat cliens Apollinis (v. infra), Cassandra, si Apollinis vaticinio abusa est, nihil efficeret.[3]) Euripides igitur Androm. cantico vetustiorem, Alexandri Troadumque trilogia propagatam exhibet fabulae formam. itaque ipsum Hecubae somnium illam ad quaestionem solvendam nihil referre videmus, nisi provocat primo Cassandrae monitus, tum Aesaci vaticinium. nil mirum, si apud Lycophronem

1) quamquam quem ad modum in Pindari vv. nimis mutilatis haec narratio fuerit extenta, difficile est dictu, nisi forte si recte expletus est, v. 35: *ἔσφα]λε προμάθεια* quidam rei finis indicatur. nam quod frg. 96 exstat *αλεξανδ-*, de singulorum membrorum contextu nihil probatur.

2) quam discrepantiam detexit Urlichs, Beitr. z. Kunstgesch. p. 25.

3) fortasse id ipsum, quod Paris apud Apollodorum disertis verbis significatur secundus Hecubae filius, apparet tamquam oppositum famae priori: neque enim tum cum expositio profecto evenit, sorore fatidica opus erat.

Euphorionemque prodigium exstat neque expositio aut si visum quippe inane prorsus omittitur (velut in Procli Cypriorum epitoma).[1])

Aliud quoque subsidium confirmationis me invenisse credo: dico Cratini *Διονυσαλέξανδρον*, cuius comoediae hypothesis nuper reperta est Oxyrhynchi (Oxyrh. pap. 4 (1904) p. 69 ss.), et quae in scaenam prodiit anno fere 430.[2]) haec autem discimus ex hypothesi quamvis mutilata: Dionysus Paridis loco iudicium fert de deabus et Helena rapta pro latibulo utitur Paridis, quem pertimescit, aula, nimirum in Ida monte, non in oppido posita. Paris, ad id temporis pastor, in villam suam reversus, ubi primum Achaei rationes petunt, Dionysum tradit, Helenam retinet: ergo in eodem iure est atque Troiani et ipsi principes, immo sine ulla mora inter villam Idaeam et domum regiam commeat, ita ut insontes utrum reddantur an retineantur, apud eum sit; quae res omnino non convenit in pastorem obscurum. quae cum ita sint, tum temporis (i. e. altera quinti saec. parte) nondum expositio erat ficta, aut minime fabula simplex in omnium usu versabatur.[3]) aequae condiciones subiectae sunt etiam Helenae Euripideae: v. 29 enim Helena ubi trium dearum iudicium rettulit, statim expositione et recognitione satis mire neglectis pergit:

Κύπρις —
νικᾷ· λιπὼν δὲ βούσταθμ' Ἰδαῖος Πάρις
Σπάρτην ἀφίκεθ' ὡς ἐμὸν σχήσων λέχος.

quae tragoedia quoniam a. 412, tres tantum annos post eiusdem Alexandrum in scaenam prodiit, moleste ferretur, nisi insequentibus vv. 36—41 ea difficultas solveretur: gravissima enim Cypriorum auctoritas est perspicua.[4])

1) sic solvuntur etiam dubitationes eae, quas profert Wentzel [p. 38 eumque secuti Zoellner p. 106 et Degen p. 23] de duplici argumento, quod si deus consulatur, somnio opus non sit, et si hoc fiat, *ὀνειροκριτῶν* interpretatio sufficiat. intelleximus enim in primitiva huius fabulae forma Cassandram de somnio illo horrido Troiae fatum praedixisse, etsi ideo non impeditur, ne Aesacus quoque prodierit fatidicus, ut etiam de Paride Lacedaemonem profecturo et Cassandra soror et Helenus frater futura praenuntiat. de vatibus autem et Apolline a rege aditis paulo infra agemus.

2) cf. Koerte in Bursiani annal. 152 (1911) 254; Croiset, Rev. des ét. gr. 17_{297}.

3) nam quamquam haud ignoro, quantam licentiam sibi permiserint comici in oblata materia mutanda (cf. O. Moessner, die Mythologie in d. dorischen u. altattischen Komoedie, diss. 1907); tamen hic res aliter se habet: totum enim fundamentum silentio transiretur, everteretur; neque ulla causa mutationis intellegitur.

4) ita ut tragicus reverterit ad fabulam sinceram, quae simulacro Helenae

Quomodo pervenimus in ipsarum Sophoclis Euripidisque tragoediarum aetatem; quibus quin nova fabula Paridis expositione propagata offeratur, dubium non est. tragoediis quidem restituendis nolim operam dare, cum Welcker (griech. Trag. II 1839 p. 426—76), Ribbeck (röm. Trag. 1875 p. 81—94), Wentzel (Ἐπιϑαλ. p. 25 ss.) hanc rem lubricam periclitati sint. etiam quae intersit inter Sophoclis Euripidisque Alexandros ratio et temporis et auctoritatis, non facile potest probari, nisi a principio Sophoclis ut senioris tragoediam priorem esse videtur verisimilius. etenim eius tragoediae fundamentum idem fere fuit atque Euripideae, sane fabula de Paride exposito narrata; quamvis paulum praestiterit Sophoclis Alexander in animis et aequalium et posterorum commovendis, quod concludi potest e fragmentorum numero exiguo. ea ipsa vero vilitas Euripidem, ut ipse quoque argumentum illud scaenae aptissimum tentaret, impellebat, quo insignis erat artificio in ἀναγνωρίσεων fabulis exornandis[1]); huius erant dissertationes ac certamina verbis commissa,[2]) cum apud Sophoclem potius ipsas res gestas per quietem expositas esse coniciamus, ita ut ob eam causam eius drama haud diu floruerit.[3]) quas rationes si recte instituimus, Euripidis tragoedia censenda est posterior, nescio quanto spatio interposito; Alexander igitur Sophoclea[4]) post a. 430 in scaenam est edita et ante Troades tragoediam una cum Alexandro Euripidea a. 415 actam.[5]) ab initio quidem discerni

ficto satis iam esset permutata. an Euripidem hac quoque in fabula antiqua et simplici Stesichori vestigia pressisse concludendum est? — sine dubio huius tragoediae etiam v. 230—5 (comparatis Hecubae v. 632—4, Procli epitoma p. 17_9 Ki., Il. *E* 62—4) Wentzel p. 12 recte repetivit e Cypriis.

1) cf. P. Hoffmann, de anagnorismo, diss. 1910 p. 56; Satyri vitam Euripidis (nuper repertam: Oxyrh. pap. IX 1912 no. 1176) fr. 39 VII 12: *ἀναγνωρισμοὺς διά τε δακτυλίων καὶ διὰ δεραίων· — ἃ πρὸς ἄκρον ἤγαγεν Εὐριπίδης*

2) apte fragm. servata (TGF p. 373—8 N²) praecipue spectant in fratrum certamen, ne pastori victori tribuatur praemium. — cf. Satyrum fr. 1, 2 ss.: *πόλλ' ἐρητόριζεν ἐν τοῖς λόγοις ὢν λογικὸς καὶ παραμιμήσϑαι τὸν ὑπὸ δίκης δυνατός.* et Aristoph. Pac. 534: *ποιητὴς ῥηματίων δικανικῶν.*

3) imprimis singulas expositionis partes accurate explicatas fuisse cognoscitur e fragmentis; affero vocabula: fr. 94 *ϑηλάστρια· τροφός* (vox Ionica, cf. Piers. ad Moerid. p. 189 s.), 95 *μαιεύτριαν· ἀντὶ τοῦ μαῖαν, ἀμαλϑεύειν· τρέφειν* (Reitzenstein, Anf. d. Lex. d. Phot. 86_9), e Priamo quae falso traditur tragoedia fr. 489 *χυτρίζειν.*

4) modo ut persistamus in ea Roberti coniectura, quod Androm. Euripidea composita sit ante Paridis famam commutatam.

5) hoc quoque Roberto concedi potest: dummodo graviores quaedam rationes possint detegi inter Paridis fabulam amplificatam et Cyri infan-

non potest inter ea, quae Sophocli et quae Euripidi debeantur.[1]) ex Sophoclis quidem Alexandro pauca tantum fragmentula aetatem tulerunt, plura Euripidis; etiam in traditionibus mythologicis non facile discernitur, quid Sophoclis, quid Euripidis sit.[2]) nec vero ullum argumentum, quod certe Euripidi tribuitur, propterea a Sophocle est abiudicandum.

Sed alia iam res, quae commemoretur, digna est: ii, qui Sophoclem Herodoti relationem adhibuisse negent, fabulam in Hdti libro I. de Cyro adulescente exstantem omnino non posse comparari profitentur cum Paridis infantia; qua in causa imprimis nituntur eo argumento, quod Paris ab ursa nutritur, contra Cyrus statim recipitur a pastoris uxore, cui nomen erat *Σπακώ* sive *Κυνώ*.[3]) attamen Herodotus ipse se unam tantum referre traditionem ex quattuor, quas indagaverit, confitetur, atque eam, quae sibi videatur verisimillima. itaque iam dudum intellexerunt viri docti (velut Maass p. 7 s.) Hdtum praebere pristinam fabulam rationi humanae accommodatam; cuius prioris famae vestigia legenda esse in nomine *Κυνώ* et capite 122 (*ὡς — κύων ἐξέθρεψε*). nec mirum est, quod historicus omnibus argumentis incredibilibus exclusis e quattuor historiis compertis elegit solam unam sibi probabilem. neque vero hoc eum potuit impedire, quominus quaecumque invenerat, cum amicis et praecipue cum Sophocle familiarissimo per colloquium communicaret: nimirum Sophocles suo arbitratu non elegit fabulam ad rationem adulteratam.

His rebus praemonitis, singula fabulae argumenta accurate sunt inspicienda. ac primum quidem de Hecubae somnio tractabimus: quando acciderit, quid visum sit; qui fuerint coniectores, quid coniecerint quomodo parentes averterint malum instans.

De viso horrido quod offertur matri praegnanti,[4]) Euripides in Troad. v. 922 exhibet *δαλοῦ πικρὸν μίμημα*, quod lignum nobis occurrit etiam apud Apollodorum, qui narrat III 148: *ἔδοξεν Ἑκάβη*

tiam ab Herodoto narratam, tum fabulae mutationem magis tribuendam esse Sophocli, quippe qui artissima cum Herodoto familiaritate coniunctus aliis quoque locis illius libros in suum usum verterit.

1) nisi forte suum utrique tribuere cogemur repugnantiis aut differentiis de eisdem rebus traditis.

2) quamquam nunc iam commemoramus Hygini fabula nonnullas discrepantias, quae non conveniant cum fama Euripidea, praeberi (cf. Wentzel p. 53 s. Degen p. 23), ita ut potius Sophoclis quam Euripidis tragoedia constituenda videatur fons Hygini primarius.

3) cf. E. Maass, comm. mythogr. I 1886 p. 8—9.

4) ut etiam Astyagi periculosus praedicitur infans et ante conceptionem et ante partum.

δαλὸν τεκεῖν διάπυρον, τοῦτον δὲ πᾶσαν ἐπινέμεσθαι τὴν πόλιν καὶ καίειν. Πρίαμος — Αἴσακον τὸν υἱὸν μετεπέμψατο· ἦν γὰρ ὀνειροκρίτης. οὗτος — ἐκθεῖναι τὸ βρέφος ἐκέλευε. quibus verbis coniungi potest, quod ex Ennii tragoedia servatum est (apud Cic. de divin. I 42; cf. Ribbeck, röm. Trag. 81—94): 'mater gravida parere ⟨ex⟩ se ardentem facem visa est. pater — coniecturam postulat —, ut se edoceret obsecrans Apollinem, — ibi ex oraclo voce divina edidit Apollo, puerum — temperaret tollere: eum esse exitium Troiae, pestem Pergamo'.[1]) contra Hyginus haec tradit: 'uxor praegnans vidit se facem ardentem parere, ex qua serpentes plurimos exisse. id visum omnibus coniectoribus cum narratum esset, imperant quicquid pareret, necaret. — Alexander datur interficiendus'. iam famam intellegimus aliam: fax et angues afferuntur coniunctae. neque vero duo somnia in unum confluxerint necesse est, sed secundum furiarum symbolum fictum est.[2]) accedit quod complures vates de viso quaesiti puerulum interfici iubent, cum alioquin unus Aesacus vel Apollo postulet expositionem. neque vero Hygino ipsi debentur illae differentiae; scholiasta enim ad Eurip. Androm. v. 293 adscripsit modo simillimo: *κατ' ὄναρ θεασαμένη ἡ Ἑκάβη ὅτι λαμπάδα ἐγέννησεν —, ἤρετο τοὺς μάντεις· οἱ δὲ ἔφασκον χρῆναι — φονεύειν.* quid obstat, quin hanc traditionem a priore discedentem repetamus a Sophoclis auctoritate? quae coniectura in disceptationibus insequentibus iam magis confirmabitur. sed nunc Herodoti vestigia ut indagemus, studeamus!

Etiam Astyages fatali visu perterritus somnium permittit *τῶν Μάγων τοῖσι ὀνειροπόλοισι* (c. 107—8) et Harpago imperat, ut puerulum interficiat. sed etiam ipsa somnia mihi videntur simillima.

1) quod quidem hic fatidicus fingitur ipse Apollo, apud Apollodorum autem Aesacus futura praenuntiat, hanc unam ob causam non est, cur Apollodori relationem dissentire censeamus ab Ennii (i. e. Euripidis) argumento. quo enim modo Apollo oraculum edidit nisi per vatem a deo in verum pronuntiandum excitatum? et Priamus si vatem consulit, adit ad divinam Apollinis facultatem [cf. schol. B Il. Z_{311}: *ἦσαν γὰρ ἀπὸ χρησμοῦ καὶ Ἀντήνορος μαθόντες ὅτι* —]. itaque aut Euripides ipse Aesaci persona consultum fecit Apollinem aut Ennius pro Aesaco minoris auctoritatis vate usurpavit ipsum Apollinem. neque enim ne in pusillis quidem rebus Ennius abscesserit ab Euripidis auctoritate, impeditur Varronis testimonio dicentis (de lingua lat. VII 82): 'imitari dum voluit Euripidem'.

2) quod iam clarius fit invento Pindari paeane, quo imago sic describitur: — *ἔδοξ[ε δὲ*
τεκεῖν πυρφόρον Ἐρι[νὺν
ἑκατόγχειρα, σκληρᾶ[δὲ βίᾳ
Ἴλιον πᾶσάν νιν ἐπὶ π[έδον
κατερεῖψαι.

Astyages enim videt Mandanen *οὐρῆσαι τοσοῦτο ὥστε πλῆσαι μὲν τὴν ἑωυτοῦ πόλιν, ἐπικατακλύσαι δὲ καὶ τὴν Ἀσίην πᾶσαν.*[1]) scholiasta autem ad Il. 3_{325} refert: *ἡ Ἑκάβη ἐνόμισε — καιόμενον δαλὸν τίκτειν, ὅστις κατέφλεξε πᾶσαν τήν τε πόλιν καὶ τὴν ἐν τῇ Ἴδῃ ὕλην ἑστῶσαν* (similique modo Dictys 3_{26}); ergo et urbs et terra incenduntur, clade comprenduntur. tragicus autem quod illam imaginem parum decoram immutaverit, non miramur: ficti ratio est eadem. fax vero cum anguibus coniuncta a Sophocle adhibitum est furiarum signum.[2])

Iam de expositione ipsa dicendum est. in ea traditione, quam repetimus ex Euripidis tragoedia, Priamus dicitur servo mandasse, ut infantem exponeret in Ida monte; expositum servus cum quinque diebus post invenisset servatum et ab ursa nutritum, sustulit et ruri tamquam suum filium educavit; cui rationi optime convenit Troad. v. 921: *ὁ πρέσβυς οὐ κτανὼν βρέφος.* contra Sophoclis tragoediae haec fama supponenda est: partu editus datur interficiendus; quem satellites misericordia commoti exposuerunt,[3]) expositum pastores repertum pro suo filio educarunt Paridemque nominaverunt.[4]) magni autem momenti sunt satellites. nam apud Hdtum quoque id argumentum detegi potest: Astyages puerulum ad necem tradit familiarissimis suis, quorum primum arcessit Harpagum, *πάντων ἐπίτροπον τῶν ἑωυτοῦ.* is autem exstitit in loco *δορυφόρων*, qui quidem veniunt ad mortuum spectandum (c. 113). et certe potest contendi (cf. Maass p. 7): 'in genuina et primaria de Cyro fabula casu pastor puerum derelictum et a cane lactatum repperit nec ullum commercium cum ipso Astyage habuit'. profecto enim infans expositus et a cane vere bestia nutritus est. satellites autem nonne *δορυφόροι* sunt latine redditi? atque etiam Paris dummodo revera expositus esset, lactatus est ab aliqua bestia; ursa autem cur, quominus poeta Hdti historiam expresserit,

1) quae imago cohaerere mihi videtur cum aequoribus profluentibus ex Magnae Matris utero; de quibus disserit R. Eisler, Philol. 68 (1909) p. 192 s.

2) secundum Pindari exemplum, cum calamitatis explicationes valde differant inter lyricum et tragicum. contra titio ille ardens prorsus cognatus est ei, cui obstricta est vita Meleagri (cf. Mayer p. 56/7).

3) matrene monente? cf. schol. Eur. Andr. 298 *ἡ δὲ ἐξέθηκεν αὐτὸ μὴ τολμῶσα φονεῦσαι.* etiam Cyrus contra regis mandatum exponitur matris gratia c. 109.

4) secundum Hygini fab., aut potius (auctore scholiasta ad Andr. 298): *καὶ αὐτὸ λαβὼν ποιμὴν ἐν τῇ πήρᾳ τέθεικεν, ὅπως διατρέφοι. διὸ καὶ Πάρις ὠνομάσθη, ὁ ἐν τῇ πήρᾳ τραφείς.* neque enim complures possunt unum sumere et pro suo filio educare; atque unus tantum periculum in se recipiebat et silebat arcanum.

obsistat,[1]) non intellego; ea enim bestia, quae in variis illis expositionum fabulis mammam praebet exposito, plerumque certa quadam ratione cum ipsa fabella coniungitur: sic canis sacra est Ahuramazdae, cuius per gratiam servatur Cyrus[2]); sic in Ida monte per se data erat ursa, quippe quae sacra esset magnae matris Idaeae.[3]) contra in fabula antiqua qui proprie gerebat partes Paridis adulescentis usque ad dearum iudicium, erat Apollo (tum Venus tenebat principatum).[4]) Apollinis vero sacra bestia est lupus.

Differentia igitur inter Sophoclis et Euripidis argumenta in eo constare mihi videtur, quod Soph. satellites facit contra regis voluntatem puerulum exponentes, pastorem ignotum invenientem; contra apud Euripidem idem ille senex servus, qui iussus est infantem exponere, expositum reperit contra exspectationem servatum et in ipsius domo educat suum (cf. Wentzel p. 26): hoc quoque fictum est secundum fabulam Hdteam atque eam, quae adhuc oculis nostris subiecta est paulum mutata ad rationem humanam, cum Sophocles famam repeteret ex historici familiaritate. par autem utrique est cum Cyri fama, quod infans revera in montibus asperrimis certae neci traditur.

Restat, ut de Paridis veriloquio pauca verba asseramus. Hyginus enim cum dicit 'eum Parim nominaverunt', ab ipsius auctore nomen enodatum fuisse monstrat; et hic quoque scholiasta ad Androm. 293 nos iuvat, qui declarat: *ὁ ἐν τῇ πήρᾳ τραφείς*; uterque autem nos

1) ut aliqui censent, velut Wentzel p. 36 et Rud. Schubert, Hdts Darstellung der Cyrussage 1890 p. 12.

2) ut Hdtus dicit c. 111 *κατὰ δαίμονα* et c. 122 *θειοτέρως*.

3) quae res vulgo erat nota, iam hymn. Hom. 4_{71} pervulgata (cf. Gruppe, gr. Mythol. 943_{0}).

4) quod ut confirmem, affero insignia Apollinea: lyram et arcum, quo sternit Achillem deo adiuvante (Eurip. Or. 1409: *ὁ τοξότας Πάρις*) et corvum Apollinis sacrum (Gruppe, Myth. gr. 1231_{4}) in illa amphora Italoionica (concludamusne ex eo personam illam addubitatam esse Apollinem? quem compluribus in picturis interesse iudicio Idaeo probat Stephani, Compte-rendu 1861 p. 55, 122; iam maioris stat quaedam fama, qua Apollo certamen venustatis s i b i i p s i propositum detulisse fertur ad Paridem); Oenones a Paride amatae 'spolium virginitatis' habet Apollo deus 'fide conspicuus' (Ovid. epist. Oen. 139 ss.) et schol. ad Il. E 64 Alexandrum exhibet consuluisse oraculum Delphicum (nec vero hanc rem pertinere crediderim ad Bethii de fabularum Troicarum origine coniecturam). schol. Il. 314 traditur iam ab Ibyco H e c t o r e m perhibitum esse filium Apollinis (de Apolline Troico disseruit Wilamowitz, Herm. 38 1903 p. 575). nescio an huc spectet Cassandrae fatum: aptissimum quidem est, quod cum Paridem Apollinis clientem sit perditura, eius vaticinio nulla fides habetur.

ducit in Sophoclem.[1]) neque Euripidis esse hoc veriloquium iam Degen (p. 23) suspicatus est; ei videtur tribuendum esse potius id, quod schol. ad Il. 3_{325} exhibet: *Πάρις ὁ Ἀλέξανδρος ἐκλήθη παρὰ τὸ ἐκτεθῆναι αὐτὸν ἐν τῇ Ἴδῃ εὐθὺς τεχθέντα καὶ αὐξηθέντα παρελθεῖν τὸν μόρον οὕτως.* voce enim *οὕτως* (nisi forte aliquid excidit) significatur ad *παρελθεῖν τὸν μόρον* pertinere etiam *τὸ ἐκτεθῆναι*, ita vero regis iussu eum expositum esse indicatur: quae est forma Euripidea.[2]) ei quidem argumentationi obloqui videntur verba scholii insequentia, quibus fabula sine dubio Sophoclea praebetur: hanc vero partem alteram nullo vinculo exstante assertam esse priori perlucidum est; ut consistamus in ea ratione, qua narrationes traditas divisimus in famas duas.[3]) item testimonio est schol. B Il. 12_{93}, quod cum usque ad verba cum illo scholio concinat, ex eodem fonte effluxit. ubi cum exhibeatur: *τὸ τεχθὲν οὐ γνώμῃ τῶν μάντεων ἐξετέθη, ἀλλὰ γνώμῃ θεῶν,*[4]) verba haud temere dicta sic sunt intellegenda: dei moliti sunt expositionem, non vates aut rex ipse, qui flagitaverant exitium. et si pergitur: *ἐκλήθη οὖν Πάρις, οὐχ ὅτι, ὥς τινές φασιν, ἐν πήρᾳ ἐτράφη, ἀλλ' ὅτι ⟨ἐτράφη καὶ⟩ παρῆλθε τὸν μόρον,* ipsum scholiastam ante oculos habuisse elucet veriloquium e *πήρα* tractum: ergo sine dubio fabula Sophoclea ei praesto erat (cuius in loco posuit *ἔτυμον* Euripideum, ut in priore schol. Il. 3_{325} parte).[5]) — alterum quoque nomen, nempe *Ἀλέξανδρος*, enodatum est ab Euripide (fr. 64), quem Ennius secutus est (Alex. fr. 5 R); qui ab eo appellatum esse dixit Alexandrum, quod homines praedones ab armentis suis depulisset.[6])

1) iam intellegimus, unde venerit ea vasis significatio: etiam Cyrus *ἐν ἄγγει* portatus est (c. 113).

2) optime is, qui et puerulum exposuit, expositum servavit, hoc nomen indidit, cum pastor, qui inexspectatum infantem invenit, aptius nomen sumeret a pera. qua in re aliquid valere existimo, quod Euripides idem ratione simillima Ionis nomen explicat (quae Ion tragoedia inter a. 418 et 412 acta proprium est tragici inventum, cf. Satyri vitam Eurip. fr. 8 III 1 ss.) v. 661 ss.: *Ἴων — ἐξιόντι,* cf. v. 802, 830 s.

3) comparo autem verba schol.: *ὃν ποιμὴν ἑορακὼς σφόδρα εὐειδέστατον* cum Hdteis c. 112: *ἡ δὲ ὡς εἶδε τὸ παιδίον μέγα τε καὶ εὐειδὲς ἐόν.*

4) nisi eam oppositionem rhetoricam (aut christianam?) tribuis recentissimis demum temporibus.

5) ratio simillima exstat in Etym. M. p. 654_{34}: *Πάρις παρὰ τὸ παριέναι τὸν μόρον, τουτέστιν ἐκφυγεῖν τὸν θάνατον· ἢ παρὰ τὴν πήραν, ὃ σημαίνει τὸ μαρσίπιον ἀπὸ τοῦ ἐν τῇ ποιμαντικῇ πήρᾳ ἀνατραφῆναι.*

6) cf. Varr. de l. lat. VII 82 cum Apollod. III 150, Ovid. Her. 16_{357} ss. quod cognomen etsi tale est, quale ab omnibus perfacile intellegitur, tamen mirum est in eo, qui inde ab aetate epica exstiterit enervis atque ignavus (quamquam in Iliade alius existimationis de Paridis virtute vesti-

Posteri igitur Paridem finxerunt excellentem inter pastores aequales: Cyro quoque puero pastorali a sodalibus defertur regnum (c. 114). iamque appropinquavit tempus, quo expositus recognoscitur et domo patria recipitur. hanc ἀναγνώρισιν in Hygini modo fabula invenimus continenter narratam; praeterea nos adiuvant ubera Alexandrorum Euripideae Ennianaeque fragm., exigua Sophocleae, quibus eadem fere fabula exhibetur. fundamentum autem est, Paridem ad ludos funebres venisse Troiam, quod satellites regii ludorum praemium abduxissent taurum eum, quem habuit in deliciis. quam fabellam cur Wentzel (p. 54) iudicavit contaminatam, non intellego. ut enim athlum funebre fieret, pastori quod ipse descenderet non erat, praesertim si[1]) quotannis in perditi filii memoriam Priamus ludos committeret; contra si taurus ei rapitur, quem ad finem rapitur, ita ut ipse descendat? illud vero argumentum magna cum arte excogitasse tragicum poetam concedendum est; et eum suspicamur esse Sophoclem (Hygini auctorem). haec autem condicio erat probanda, quomodo fieret ut pastor recognoscendus cum in montibus versaretur, commercium iniret cum cognatis regiis urbanisque; aequa erat condicio in Cyri fabula, ubi filius pastoralis (οἱ ἐκ τῆς κώμης παῖδες c. 115) ludit una cum filio nobilissimi viri Artembaris urbani (κατελθὼν ἐς πόλιν c. 114); et puer obscurus primum locum obtinet: ut Cyrus inter aequales fit rex, ita Paris inter certantes princeps; nobiles autem victi ac contumelia affecti rationem repetunt a victore.

Atqui quomodo Sophocles recognitionem perduxerit, difficile est cognitu (nisi forte Cassandram primas egisse partes Hyginus[2]) testatur). apud Euripidem quidem rata signa (cf. Ovid. her. 16_{89} ss., Serv. Aen. V 370, al.) sive crepundia (Dracont. 8_{98-103}) ad Paridem recognoscendum multum valuisse videntur (cf. Zoellner p. 110); contra apud Soph. fortasse forma vigorque animi indicium tectae nobilitatis erat (Ovid.

gia non videntur deesse, velut Z 522), cum Ἀλέξανδρος nomen ab initio certe tributum sit militi fortissimo (id quod sensit etiam schol. Il. 12_{93}). ita Paridis quoque nomen intellegitur 'der Erste, der Beste' (cf. Kretschmer, Einl. in d. Gesch. d. griech. Spr. p. 185. Türk in Roscheri lex. myth. v. Paris 1902 p. 1580_{50} ss). quare posteri fortitudinem rettulerunt in adulescentem nondum Veneris illecebris effeminatum, et intellexerunt pecudum a bestiis praedonibusque defensorem: quae res primaria certe non est (potius decet Ἀλεξίθερος).

1) quod Wentzel contendit p. 26, non probabiliter.

2) gravissimas Euripideae tragoediae partes, quae fuerint nuntii narratio et verborum concertatio, deesse Hygini fabulae praedicat Wentzel p. 54.

her. 16_{51} ss.)[1]). ita etiam *τὸν Ἀστυάγεα ἐσήιε ἀνάγνωσις αὐτοῦ* (Hdt. I 116). et Wentzel huc trahendum esse coniecit frg. adesp. 286: senes valde commotos esse magna inter Paridem Priamidasque similitudine. — qui casus rerum subsecutus sit, nescimus: quid si coniectores facis prodigium evenisse censuerunt eo, quod Paris gravissimam fratrum discordiam incendisset, ut Cyri regnum ludicrum satisfecisse putatur regis somnio (Hdt. I 120)?

Iam retro vertimus animum: quam artae rationes intersint inter Paridis et Cyri adulescentium fabulas, cognovimus. itaque non dubito, quin Hdti auctoritas tantum valuerit, ut Paridis fama ad illius exemplar permutaretur. sed si quaerimus, cur Soph. Cyri adulescentiam transfuderit in Paridem: condiciones erant pares, uterque erat pastor in montibus ab aequalibus regiis seclusus, uterque sive patris sive matris gentem calamitatibus excidioque obruturus. quinti autem saeculi hominibus non iam perspicuum erat, si legitimus agnitusque regis filius munere fungebatur pastoris: cur pasceret greges, probandum erat. haec erat rationis quaedam nimia iactatio vi sua intemperanter abutentis, quae respondebat ad eruditionem illis temporibus latius propagatam! ita Sophocli praesto erat Cyri fabula ab amico narrata. quid mirum, quod ea usus est?[2])

Quod certamen funebre (viginti fere annis post Paridis expositi mortem denuo institutum) num iam epicis temporibus recte sit intrudendum, valde dubitem. nam quamquam illum morem, quo mortuorum dies fatales per multos annos sollemniter agebantur,[3]) novimus ex Pindari Simonidisque carminibus, tamen hoc loco semel, non identidem institutos esse ludos mihi persuasum est (contra Wentzelii sententiam).[4]) hac vero condicione illa scaena artificio dramatico ex-

1) hoc egregie convenit cum ea ratione, qua Electra et Orestes inter se agnoscunt.

2) neque novum argumentum introducere debebat dubitare is, qui vel illud dearum iudicium, scaenam celeberrimam, immutavisse videtur in eo, quod duas tantum deas ad pastorem deduxit diiudicandas (quod suspicatus est Stephani, Compte-rendu 1863_5 ss., $_{10}$). et certamen gymnicum ac cursum Sophocles, gladiorum armorumque artificis filius, inseruerat etiam Electrae tragoediae [quo de invento ad Homeri (Il. 23_{287} ss.) exemplum composito egit A. Martin (Mélanges Weil 1898 p. 273—81)].

3) de hoc ludorum sollemnium usu cf. E. Gossmann, quaestt. ad Graec. orat. funebr. formam pertin., diss. 1908 p. 18 ss. qui ludi imprimis *ταῖς κτίσταις* offerebantur, cf. Jurenka, Philol. 71 (1912) p. 175. — fortasse huc trahendum est vocabulum *Ἐφέσεια* (fr. 93); revoco ad *Ἐφέσηα τὰ μεγάλα* dies festos, cf. Pauly-W. v. Ephesos p. 2805_{63}.

4) quae res fortasse confirmari potest Hygini fab. 273, qua qui primi ludos fecerint, enumerantur: inter eos ludos Priamus fecisse narratur in

cogitata debetur poetae tragico, qui *ἀναγνώρισιν* instituerit ad summam spectatorum exspectationem excitandam.

Ut iam paucis verbis id, quod assecuti esse nobis videmur, repetamus: Paridis expositio a Sophocle tractata repetenda est de Cyri adulescentia. atque hoc certe potest contendi: si quidem Cyri adulescentiae auctoritas tribuenda est in Paridis fabula exornata, tum hoc factum est Herodoto intercedente. etenim is auctor fabulosus quid aliud in animo habebat, nisi ut novas res et inauditas referret? qua causa Cyri quoque fabula poni potest usque ad illud tempus Graecis ignota. etsi Persarum res gestas non prorsus obscuras fuisse Atheniensibus intellegitur ex Aeschyli Pers. vv. 765 ss.: equidem poetam usum esse aliqua relatione litteris tradita crediderim (haud scio an Hecataei); atqui quam vilis erat ille fons! et licet complures et diversae de Cyro narrationes praesto essent, Sophocles adhibebat sui amicissimi, Herodoteam[1]). etiam Ctesias, cum suo marte Cyri vitam referret, quantum poterat, impugnabat Hdtum (ut diserte Photius profitetur): id quod non fecisset, nisi narratio Hdtea fuisset sola aut minime gravissima Graecis nota.

C. DE ALIIS EXPOSITIONUM FABELLIS.

Atqui omnes videlicet illas varias expositionum fabellas, quae Graecis innotescebant, magis minusve valuisse alteram ad alteram augendam, singulis argumentis assumptis aut commodatis, profiteri haud dubito; etsi harum fabellarum suam quaeque praebet notam, qua distinguitur a reliquis.

Itaque aliis quoque locis Cyri fabulam Hdteam (nimirum quattuor eius versiones diversas) influxisse mihi persuasum est in argumenta tragoediarum Sophoclea: quam auctoritatem quominus ad finem detegamus, prohibemur et ipsis argumentis nimis tenuiter traditis et quod omnium fere fabularum historia nobis servata est parum perspicua. quam ob causam aliqua vestigia conici tantum possunt maiore aut minore probabilitate.

Hoc modo de Oedipodis expositione commemoramus apud Soph. partu editum d i e t e r t i o (Oed. Reg. 717 s.) in asperrimis Cithaeronis saltibus exponi: et t e r t i o d i e Astyagis satellites veniunt spectatum in montes vastos. — aut potius is qui infantem exponere iussus est,

Ilio cenotaphium Paridi, quem natum iussisset interfici, et gymnicos, in quibus qui certaverint, afferuntur et alii et Paris Alexander pastor Priami ignarus filius, unde primum factum esse athlon funebre elucet.

1) quod dico contra Mayeri sententiam, qui (l. l. p. 54) Robertum tunc iam ex communi Asiae memoria revocare contendit Sophoclis scientiam.

puerulum misericordia commotus tradit pastori alterius domini, nempe regis hic Polybi illic Astyagis: duplex ergo est pueruli exponendi traditio. quae res pluris stat in expositi recognitione. constat enim a Sophocle demum fictam esse talem Oedipodis ἀναγνώρισιν et pastoris obnoxii inquisitionem, cui aeque ac pastori Astyagis culpam profiteri nolenti a rege denuntiantur tormenta. deinde apud Soph. Polybus suppositum filium fuisse expositum non ignorat[1]), etsi antiquae quoque fabulae talia possunt tribui.

Imprimis autem afferenda est Tyrus fabula, a Soph. duabus tragoediis tractata, propterea quod id sine dubio exemplar fuit historiae de Romulo Remoque exornandae, hac autem continentur allusiones satis mirabiles ad Cyri adulescentiam ab Hdto narratam. itaque inquirendum est: illa argumenta, quae mirum quantum alludant ad Cyri exemplum, utrum ex ipso Hdto sint prompta, an his quoque, quamquam a mythographis nihil refertur, Soph. intercesserit sua tragoedia: quae res summum movere debet nostrum studium, quoniam condicio esset ea, ut ex Hdti libro historico Sophocle intercedente orta sit Romanarum historiarum fictio.[2])

Atque hoc certissimum est Romuli Remique expositionem exornatam esse ad Tyrus fabulae exemplar. quod confirmatur tota narratione: geminorum ortu, educatione, recognitione.[3]) tamen haec ratio qua via evenerit, dubium est. atqui quoniam Sophocles Tyrus fabulam quantum scimus solus[4]) tractavit et, ut identidem praedicatum est[5]), Romuli fabula revocanda est ex fonte aliquo dramatico, Sophoclis Tyro tragoedia profecto ille fons fuisse videtur. sed utrum ad Romuli

1) apud Euripidem (Phoen. 31) Meropa in loco filii sui mortui ponit inventum marito inscio, cum aliter rem agat Soph. Oed. v. 1021 s. (de Polybo): ἀλλ' ἀντὶ τοῦ δὴ παῖδά μ' ὠνομάζετο;
ἡ γὰρ πρὶν αὐτὸν ἐξέπεισ' ἀπαιδία.

2) et profecto iam antiquis temporibus Cyri et Romuli narrationes arte inter se sunt coniunctae, velut ab Iustino (XLIV 4_{12}) et Menandro rhetore (Rhet. gr. III $_{87}$ Sp.). nec vero singula verba similiter expressa ab altero exspectantur, si complures intercesserunt interpretes.

3) plura argumenta attulerunt H. Trieber 'die Romulussage' in Mus. Rhen. 43 (1888) p. 569) et W. Soltau (prius Arch. f. Religwsch. 1909, tum 'die Anfänge d. röm. Geschichtsschreibg.' 1909 p. 21 ss.)

4) epigramma Cyzicenum 9 (Anthol. Pal. III), quod est de Tyrone, scilicet e fabula Sophoclea repetendum esse videtur eodem modo, quo mythi 3, 5, 7, 10, 11, 16 recurrunt ad tragoedias Euripideas (cf. Herib. Meyer, de Anthol. Pal. epigr. Cyz. 1911 p. 78_1).

5) velut a Ranke, BBA. 1849 p. 238 s.; Ribbeck, Gesch. d. röm. Dichtk. 1887 I 21 s.; Petersen, Klio 9 1909 p. 46 (qui ex Plutarchi verbis quaerit vel trimetros); Soltau l. l. p. 21.

narrationem inveniendam aut saltem exornandam Naevius demum praetexta sua fabula 'Alimonia Remi et Romuli' rem transtulerit[1]), an iam priore saec. III. parte, forte Timaeo auctore, fabula Romana sit ficta[2]), id discernere meum non est.[3])

Nostrum vero est singulas Tyronis Sophocleae res, quoad possumus, restituere, ut quem ad modum Soph. pendeat ab Hdto et Romuli fabula a Cyro Hdteo, discernamus.

Ac primum quidem Tyrus fata, qua ratione ficta et propagata sint, contemplemur. namque iam in Odyssea (λ 230 ss.) ea fabula comme-

1) quod Soltau contendit.

2) cf. Roscheri lex. myth. s. v. Romulus p. 172 s.; Herib. Meyer quidem (l. l. p. 80) Calliae (Agathoclis aequalis) testimonio nisus illam fabulam temporibus posterioribus clarissimam negat ineunte iam saec. tertio fuisse notam, tamen Timaeus paulo iunior multo melius instructus fuisse videtur (cf. Christ in Act. Acad. Mon. 1905 p. 104 ss.).

3) dubito an illa narratio pseudohistorica hoc fere modo orta sit: primordia fecit Graecus quidam, forte Timaeus, secundum Tyro Sophocleam (cf. Christ p. 119 s.): unde evenerunt propria nomina Graeca, non Romana (velut Ilia); tum singulae res propagatae sunt ab indigena quodam Romano: qua re declaratur accurata locorum cognitio. et ut ad Romuli [qui num repetendus sit a Romus (ut inter alios docet Carter in Roscheri lex. myth. 1909 s. Romulus p. 172) sive Roma, valde in dubium vocavit W. Schulze, zur Gesch. lat. Eigenn. 1904 p. 579, cum Romulum Remumque existimaret gentilia Tusca; contra quem denuo disserit W. Soltau, Philol. 68 1909 p. 154—7] exemplum Faustuli nomen fictum, ita Accam Larentiam (quae quidem pertinet etiam ad Herculis sacerdotium, cf. Pauly-W. s. Acca) et Ream Silviam (pro vetustiore Ilia) ad unum detulerim auctorem Romanum: is forsan fuit N a e v i u s praetexta sua. quamquam prioribus iam temporibus 'Nelei carmine' eadem Tyrus fabula tractata erat [cf. Ribbeck, röm. Trag. 1875 p. 630; Mirmont (Études sur l'ancienne poésie latine 1903 p. 205—18) eius carminis exemplar suspicatur tragoediam quandam graecam, quae Nelei nomine fabulam Romuli finxerit]. pro certo autem iudico, non demum historicum quendam Romanum totam rem esse molitum; accedit quod, siquidem H d t u s adhibitus est, id magis spectat in scriptorem Graecum quam Romanum. etsi Ennio ipsi Ilia, Amulii filia, neptis erat Aeneae (cf. Annal. l. I fr. 28 ss. Vahl). summae vero auctoritatis est, quid sit dicendum de illa lupa Capitolina. de qua quam sententiam protulerunt Dieterich (Rh. M. 1900 p. 206) et W. Soltau, Anf. d. röm. Gesch. 1909 p. 25 ss., repellere conatus est Petersen (Klio 8 1908 p. 440—56, 9 1909 p. 29—47), cum lupam adhuc servatam, cui illi anno a. Chr. n. 296 ab Ogulniis aedilibus in lupercali conditores infantes suppositos esse censent, una cum geminis contendit iam sexto fere saeculo ab opificibus Ionicis exstructam collocatamque esse in Capitolio; tamen Petersen ipse addit p. 45: 'eine Legende von den Zwillingen, aus der sich die Erzgruppe erklären ließe, kann nicht vorausgesetzt werden: vielmehr halten wir in der Wölfin den Ursprung der Legende in unsern Händen' (quare eam sententiam accuratius impugnare omitto).

moratur: Tyro enim cum amore incensa in Enipeum fluvium, in eius ripis ambularet, a Neptuno Enipei specie abdito compressa est; tum coniunx personam suam professus maestae virgini dextera data mandat, ut quos geminos paritura sit iam nupta Cretheo, educet ita, ut filii spurii una cum legitimis a Cretheo habeantur sui ipsius: expositio ergo infantium locum non habet.[1]) contra posteriores fingebant Tyronem infantes exponentem, quos *ἱπποφορβός* quidam recipit, cum eorum alterum, Peliam, unus ex eius equis calce tutudisset et *πελιόν* reddidisset.[2])

1) quae fabulae forma simplex vel in *Διηγήμασιν* (cf. Westerm. Mythogr. gr. 385) nobis offertur.

2) hoc veriloquium notum fuisse videtur iam Hellanico, cuius fragmentum servatum est in Epimerism. Hom. (apud Cramer. Anecd. gr. I 344): '*Ἑλλάνικος δὲ· καὶ τὸν Πελίαν ὠνομάζετο* [qua forma mediali usus est Soph. Oed. R. 1021, quod praedico, cum Preller formam mutaverit in *ὠνόμαζεν αὐτόν*], *ἐπεὶ ἐπελιώθη αὐτῷ ἡ ὄψις λακτισθέντι ὑπὸ τοῦ ἵππου*'; neque vero illius commemorationi nimis confido; immo historicus illud Peliae veriloquium attulit post Sophoclis tragoediam compositam, cum explicet: *ἐπελιώθη — ὑπὸ τοῦ ἵππου*, quod genus masculum haud exigui momenti est; nam ad equum masculum (non equam, quae nutriverit infantes) vinculo necessario convenit canis illa ad Nelei veriloquium enodandum a Sophocle demum, ut infra videbimus, adhibita [similiter Hellanicus appellatur testis apud Suidam s. v. *Ζάλμοξις*, verba autem cuncta ex Hdti libro sumpta sunt]. quamquam hac ex re magnas coniecturas facere non audeo; significo tantum Hellanici testimonio sublato concludi posse Sophoclem demum priori fabulae simplici inculcasse expositionem. [qua in re revocem ad ea verba, quae profitetur O. Roßbach (N. Jb. 7 1901 p. 393) de heroibus expositis: 'im griech. Epos läßt sich dies von Usener (Sintflutsagen 110 f.) gestreifte Motiv kaum nachweisen, desto häufiger hat es die Tragödie, wohl meist auf Grund v. Ortssagen, verwendet u. in der verschiedensten Weise variiert'. cui obloquitur Petersen, Klio 9 p. 38. — Ranke, d. Mythos von d. Geburt des Helden (1908) inspicere non potui.] Pherecydes enim nullus fere testis est; testis quidem fabulae expositione propagatae advocatur a scholiasta ad Lycophr. Al. 175; unde conclusum est carmine aliquo genealogo priorem fabulam permutatam esse (cf. Weizsäcker in Roscheri lex. myth. s. v. Pelias p. 1854 s.; qui vir doctus addidit: 'die Sage von Pelias' Wiedererkennung seiner Mutter Tyro und der Ermordung von deren grausamer Stiefmutter Sidero am Altar der Hera kann auch nicht der 2. epischen Gestaltung angehören u. tritt erst im Drama zutage', quamquam eodem illo scholio iam *μητρυιᾶς* Tyronem torquentis memoria fit). sed ne Pherecydis quidem nomen tantum valet, quoniam cum hoc Lycophronis scholio usque ad singula verba accurate concinunt ea quae Apollodorus (Bibl. I 90 s.) narrat. itaque aut, si revera Pherecydes illius scholii fons est, etiam Apollodorus narrationem suam ad verbum, et quidem uberius, hausit ex genealogo [Apollodorum praesertim in libro tertio pendere ex Pherecyde conclusit Wagner, Epit. Vat. p. 157]; aut quod mihi videtur probabilius, Pherecydis nomen falso suppositum est. tota enim

Quam ob causam Sophocli fundamenta tantum fabulae poni possunt parata. et quomodo ipse fabulam tractaverit, ex Apollodori (Bibl. I 90—2) et Diodori (IV 68) narrationibus concludere viri docti conati sunt. et Diodorus quidem affert (§ 1) Alpheum flumen, quod confirmatur fragmento nuper in papyro Aegyptia invento (Hibeh papyri I (1906) p. 17 no. 3): *καλλίρουν ἐπ' Ἀλφειοῦ πόρον.* praeterea Diodorus non multum valere videtur ad Sophoclis tragoediam cognoscendam. sed accedit id, quod scholiasta exhibet ad Hom. Il. K 334: quae expositionis relatio inter has tres est accuratissima.

Contra Hyginus (fab. 60) famam tradidit prorsus diversam. quae duae formae eiusmodi sunt, ut altera alteram ex omni parte excludat. nam secundum Hygini narrationem Tyro, quos geminos e Sisyphi patrui compressu genuit[1]), occidit Apollinis oraculo impulsa, ne dicam insania vexata. quod quidem Apollo consulitur, optime convenit ad morem Sophoclis; quamquam qua ratione in Salmoneum liberi revera exstiterint ultores Sisyphi, non intellegitur. utrum oraculum enuntiatum est inane?[2]) an oraculum eventus ancipitis, ita ut ultio rueret in ipsum Sysiphum?[3]) dolendum est, quod Hygini verborum contextus hiat: post 'ut resciit' si non alia, certe Sisyphi interitus narratus erat. — contra secundum alteram narrationem Tyro editos partu geminos in Enipeo expositos ab nece defendit Neptuno patre adiuvante.

Utram vero versionem Soph. secutus est? refugere debemus ad ipsa Tyrus Sophocleae fragmenta quamvis parciter servata. ac primum quidem mirum est, quod Soph. duo dramata Tyronis nomine indita composuit: aut res prorsus novas tractavit aut fabulas diversas. et quia duae versiones diversissimae de Tyrone memoriae sunt proditae, magna probabilitate Engelmann contendisse mihi videtur[4]) Sophoclem utramque famam his duabus tragoediis usurpasse.[5]) atque si ipsa frag-

citandi ratio: '*τὸ δὲ πλάτος τῆς ἱστορίας κατὰ Φερεκύδην καὶ ἑτέρους οὕτως ἔχει*' et postea '*ἐξ Ἀναξιβίας — ἢ Φιλομάχης*' (ubi Apollod. habet: '*ὡς δὲ ἔνιοι*') suspicionem movet: tanquam Pherecydis nomen promptum ob unius cuiusdam rei argumentum totius narrationis testimonium praestiterit.

1) ut Sisyphus ex fratris filia creat vindicem germani, ita Thyestes ex Pelopia ipsius stirpe Aegisthum ad Atreum fratrem ulciscendum.

2) Welcker profitetur (Trag. gr. I 409): 'so gewiß als bei Soph. Orakelsprüche bestimmt in Erfüllung gehen, —'.

3) qua in re mihi in mentem venit responsi a Pythia Croeso dati, Hdt. I 91.

4) Archäol. Jb. 5 (1890) p. 171 ss. eandemque rem protulit „arch. Studien zu d. Trag." 1900 p. 40—51.

5) quae coniectura probatur, et quod cognomen quoddam latere videtur in frg. 589: *Σοφοκλῆς τυροιαροιτον*, et quod ex utroque dramate frag-

menta inspicimus, utramque ni fallor fabulae formam possumus comprobare; summum momenti pono in frg. 591: *καρπομανής*, quae vox inusitata ab aliquo grammatico[1]) ita exposita est (apud Hesych. s. v.): *ἐς κόρον ἐξυβρίζουσα*. quae glossa adhuc intellecta est 'im Unmaſs übermütig'. contra Max Schneider, qui omnia adiectiva in — *μανης* exeuntia collegit,[2]) reddit (p. 125): '*καρπομανής* eigentl.: mit Früchten rasend, dann: rasend voll von Früchten'; neque vero cum hac notione consentiunt verba scholiastae. ea autem tantum interpretatio, quae apta est ad notionem utramque, probatur. itaque rem aliter intellego: *κόρος* sibi vult non satietatem, sed prolem, quod probatur voce *καρπομανής*.[3]) cognoscimus igitur mulierem aliquam atrox facinus commisisse[4]) in suam prolem: quae res quadrat solam in Tyronem suos geminos necantem insania pellectam (-*μανής*).[5]) et apud Hesychium additur: *Σοφοκλῆς τυριλαω*, quod Nauck suo iure intellexit: *Τυροῖ α'*. qua via Tyrus prioris argumentum constitutum est: fabula ab Hygino narrata est usurpata. extemplo etiam frg. 589 *θεανὴ νόσος* (pro codd. *νῆσος*) suum locum obtinet: insania significatur, qua mater impellitur ad facinus atrocissimum, ut in Medeae fabula. origo exhibetur: *Σοφοκλῆς τυροι α ροιτου*, quod Nauck iterum intellexit: *Τυροῖ α'*.[6])

Reliqua fragmenta utram ad tragoediam pertineant, nisi diserte dicitur, perdifficile est discretu. tamen si ad alterum Tyrus drama nos convertimus, statim expositionis fabulam notissimam adhibitam esse cognoscimus ex frg. 594: *ἐρρηνοβοσκός: ὁ προβατοβοσκός, ἐν Τυροῖ β' Σοφοκλέους* (tribus locis traditum!). ad eas pecudes, non ad equos convenit illa canis Neleum nutriens.[7])

menta adhuc supersunt, cum si alterum drama retractatio tantum esset prioris, alterius solius testimonia essent exscripta.

1) qui optime novit tragoediam Sophocleam, aliter non attulisset genus femininum.

2) inter scripta in honorem Bambergii composita 1905, p. 109 ss.

3) ut dicit Euripides Ion. 815: *ἄλλης γυναικὸς παῖδας ἐκκαρπούμενος*, et 922: *Δίοισι καρποῖς*, cf. Xenoph. Cyrop. I 1_2.

4) cf. Luciani Fug. 18: *εἴς τινα ἐξυβρίζουσα*.

5) neque potest contradici *κόρον* esse numerum singularem: id esset probabile, si *τόν* articulus esset adiectus: ita prolem suam, non suum filium verbum significat.

6) atqui num in *ῥοιτοῦ* verbo nihil nisi dittographia quae dicitur inversa posita sit, valde dubitem; malim cognoscere in *αροιτου* aliquod cognomen (fortasse coniungendum cum (*τυρι*)*λαω*), quod solvere non possum.

7) *πρόβατα* autem illa definiri possunt. namque ex Menandri *Ἐπιτρέποντες* comoedia, cuius vv. 109—116 disertis verbis Peliae Neleique mentio fit, nova quaedam excerpere conamur. quamvis saepe enim tales *ἀναγνω-*

His ex Tyronis fragmentis aliud aliquid discimus, quod pertinet ad novercam: namque Tyro iam ante congressum cum Enipeo sive Neptuno factum a Siderone noverca vexata est.[1]) immo condiciones ponendae sunt hae: Tyro in servitutem redacta et sordide contempta ad flumen ire solet aquatum, ubi a Neptuno opprimitur.[2]) sed qua

ῥίσεις in ipsis comoediis adhibitae sint ad fabulae nodum nectendum, tamen hic aperte ducimur in Tyronis fabulam; et tragoediam significari constat ex eo, quod versu superiore τραγῳδοί dicuntur exempla. quam ob rem quid mirum, si aliae quoque res ex eodem dramate haustae sunt? [etsi credunt suppositam esse etiam Alopam Euripideam] scilicet ea argumenta Tyroni sunt usurpanda, quae non propria sunt huic comoediae, sed quae aliunde petitae elucent. sed ut quid velim intellegatur, affero vv. 50 s., quibus dicitur infantem a pastoris uxore partu editum eodem tempore esse mortuum ideoque expositum esse receptum. hoc argumentum translatum arbitror ex Tyrone tragoedia, quod comoediae non est necessarium (idem contigit et Κυνώ Cyri nutrici et uxori Faustuli apud Dionys. Hal. I 79 p. 204). nunc iam scimus, quid sibi vult glossema ἐρρηνοβοσκός (fr. 594): significatur caprarius, αἰπόλος (v. 111 ed. Sudh.). atque is cum adulescentibus communicat fata expositionis (v. 113); quamquam an ipse pernoverit expositorum originem (ut servus ab Harpago in urbem arcessitus et Faustulus Romam aggressus), dubium est, Menandri quidem versus 112—15 non obsistunt.

1) haec res comprobatur primum ordine, quo Diodorus fabulam narrat (IV 68_{2-8}); prius enim affert: αὕτη δὲ (scil. Σιδηρὼ) χαλεπῶς διετέθη πρὸς τὴν Τυρώ, ὡς ἂν μητρυιά, quam: τῇ δὲ Τυροῖ, παρθένῳ κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους οὔσῃ, Ποσειδῶν μιγείς — —; etsi huic argumento paulum tribuo, quoniam Diodorus ordine constituto uniuscuiusque personae cunctas res profert continuas. — tum huc pertinet vox ἀπωδύρετο [apud Apdorum I 91; ita codd. consensu, non ἐπωδ. quod a Fabro (a 1661) coniectum praebent editores] i. e. 'profusis lacrimis animum levabat'; quid enim lamentatur Tyro ambulans in ripis Enipei fluminis, nisi novercae tormenta? nec Tyro a noverca vexatur propter Neptuni amorem aut geminos editos, quos γεννήσασα κρύφα ἐκτίθεσιν; aliam ob causam ab illa torquetur (Diod. I 9_8). potissimum autem argumentum nobis parat Aelianus, qui disserit (N. a. II 10 et XI 18) equas, ubi primum capilli tonsi sint, amittere omnem magnum animum ac superbiam, ita ut mares patiantur vel asinos; quod πάθος etiam Sophoclem in animo habuisse (αἰνίττεσθαι) nempe Tyrone tragoedia (N. a. 11_{18}). profitetur igitur auctor, qui Aristotelem respicit: Tyroni comam summa laude dignam (cf. Pind. Pyth. 4_{241}: ἐρασιπλόκαμος) tonsam esse a noverca crudelissima, quo factum esse, ut concederet coniugium suo honore indignum: quod coniugium intellegendum est cum deo fluviali i. e. Enipeo sive Neptuno. ceteroquin equum et amatorem contumaces saepius inter se comparari docet Leo, Plaut. Forsch.[2] p. 155.

2) de comis tonsis nuperrime disseruit L. Sommer (das Haar in Religion u. Aberglaube d. Griechen, diss. 1912), qui huius quidem exempli oblitus docuit p. 58 ss.: servorum capillos esse recisos (cf. etiam apud Reitzenst., Anf. d. Lex. d. Phot. p. 102_{16} Sophoclis fr.: ἀμφίκουρον· τὸν ἀμφοτέρωθεν

de causa a noverca tam humiliter tractata est, nisi ne in matrimonium ducta liberos ingenuos procrearet? quorum periculum imminens novercae forsan praedictum erat illo somnio, de quo in fragmentis et praesertim in frg. nuper reperto identidem disseritur. hoc vero iam artius vinclum nectitur cum Iliae Romulique fabula: ut Tyro sic Ilia a propinquissimis crudelibus impeditur, ne prolem excipiat, atque vestalis facta in aquando ad fluminis ripas a Marte deprehenditur.[1])

Sophocleae Tyrus alterius proprium fuit, quod illa σκάφη i. e. alveus, in quo infantes fluvio permissi sunt, plurimum valebat ad filios recognoscendos: id discimus ex imaginibus[2]) et ex ludificatione, quam Sophocli immisit Aristophanes (Lysistr. 138).[3]) attamen novi aliquid concludere audeam e fragmento inter Hibeh papyros reperto.[4]) ac primum quidem ab initio constituimus, in ipso dramate geminos Sideronem ultos esse pro matris iniuriis, quae res omnibus relationibus exhibetur. ad id autem necesse est, filii antea cognoverint matrem.[5]) itaque non demum tragoedia exeunte illae σκάφη atque ἀναγνώρισις exhibitae sunt. idemque concludimus e novo fragmento, quo disseritur de duobus geminis (v. 24 ἀμφοῖν), qui in summum discrimen pervenerint (v. 32 εἰ καὶ θανεῖν χρὴ πρῶτον ἐκπρα[ξ]); quorum alter appellatur filius (v. 43 ἀλλ' ὦ τέκνον, ni fallor in parte quae dicitur stichomythica). maximi autem momenti est frg. littera f signatum.[6]) hi enim versus, quoniam pater et mater invocantur, enuntiati sunt a filiis aut potius ab altero eorum, qui dummodo Blass v. 52 recte expleverit Πελ]ίας, erat Neleus[7]); conicere autem velim initio v. 54 ἄγο]ντα atque interpretari: 'oro patrem, ut matri veniat auxilio, cum ducat suos filios', nempe ad faustum eventum.[8]) ergo iam ante dramatis exitum mater filios agnovit ex illo alveo. sed denuo refugimus ad illam Menandri comoediam. quod quidem dicitur de crepundiis, id dedecet tragoediam Sophocleam, debetur opinionibus,

κεκαρμένον); p. 35 ss.: virginem nubentem dedicasse crines lautamque esse in fluminibus, qua ratione nupserit deo fluviali.

1) eodem modo in Sophoclis Aleuadis ab Aleo Auge filia facta est Minervae sacerdos, ne liberos gigneret (cf. Welcker, Trag. gr. I 408).

2) cf. Engelmanni Studia archaeol. p. 40 s.

3) apud Hdtum τὸ ἄγγος est, quo puerulus aufertur (I 113).

4) namque in eo perseveramus, quod Tyro Sophoclea est recognoscenda.

5) Apollodorus quoque (I 92) hunc ordinem praebet.

6) quo quidem praecipue nisi sunt editores, ut Tyronem Soph. approbarent.

7) contra quod v. 54 dicitur παῖδας, nihil obstat.

8) huius ἄγειν verbi praesertim de deis et de fato adhibiti exempla sunt: Oed. Col. 994 θεῶν ἀγόντων (deis ducibus), 254 εἰ θεὸς ἄγοι atque Hdti VII 8, θεὸς οὕτω ἄγει.

quae valebant in nova comoedia. nec nos movet, quod dicitur (v. 114): *ἔδωκε δ' αὐτοῖς πηρίδιον γνωρισμάτων.* scimus enim alveo factam esse recognitionem. atqui geminos ab ipso pastore unde orti essent edoctos esse crediderim.[1]) neque enim ultro apportavissent alveum, quo agnoscerentur. atque ante novercae ultionem a matre *ἀναγνώρισιν* esse factam (nonne huc spectat v. 125?) coniecerim e speculis Tuscis[2]), ubi ad puteum utraque pars congressa est.[3])

Atqui scholiasta ad Eur. Or. 1691 exhibet haec: '— *ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ Ἀλκήστιδι ἐκ συμφορῶν εἰς εὐφροσύνην καὶ ἀναβιοτήν. ὁμοίως καὶ ἐν Τυροῖ Σοφοκλέους ἀναγνωρισμὸς κατὰ τὸ τέλος γίνεται*'; eventum igitur cognoscimus prosperum ac placabilem et recognitione aliqua exornatum: quae *ἀναγνώρισις* necessario est altera, et ea inter filios et patruum Cretheum vel avum Salmoneum.[4]) et huic rei usurpo argumentum invicem e Romuli fabula petitum: ut Numitor[5]) iam nobili habitu corporis atque ingenii movetur nepotis, ita credo etiam Cretheus vel Salmoneus post Sideronis ultionem (qua in re pastor ille primas partes egisse videtur): atque hoc argumentum a Sophocle sumptum est e Cyri cognitione (apud Hdtum I 116). accedit quod in Hdti relatione desideramus mentionem eius quid sit factum cum Mandane expositi matre.[6]) nonne historicus huius quoque rei quid rettulit, poeta mutuatus est?

Sed adhuc cum paucas tantum res detexerimus, quas Soph. e Cyri adulescentia transtulerit in Tyro tragoediam, unum argumentum restat: dico canem, a qua Neleus nutritur. etenim equa, a qua Pelias et tunditur et alitur, optime convenit cum patre Neptuno, equorum domino. contra canis non erat cur induceretur equorum socia[7]), nisi Hdtum

1) hanc ad rem verba Menandri minus praestant, quoniam Syrisci quantum valuerint crepundia ad filios recognoscendos, demonstrare interest.

2) quae affert Engelmann l. l.

3) num etiam silva densa (*δάσος* v. 25) usurpanda sit Tyroni, dubium mihi est: qua in re reiciam ad lucum Neptuni sacrum in speculis significatum (cf. Engelm.).

4) nam quamquam Alphei fluminis Eliaci mentio fit, utrum in Thessalia an in Elide actio sit posita, dubium est. huc trahenda sunt: primus tragoediae versus: *τίς ὄρνις οὕτως* (coni. Welcker) *ἔξεδρον χώραν ἔχων*, quo (cf. Kock ad Aristoph. Av. 275) Tyro significat vitam suam vagam; tum frg. 607: *Διονύσου τοῦ Ταυροφάγου*; praesertim enim in Elide *Διόνυσος Ταῦρος* cultus est (cf. Pauly-Wiss. s. Dionysos II p. 1032_{59} ss.); contra in fabulae argumentis (velut apud Apdorum, in scholiis) praedicatur: *τρεφομένη παρὰ Κρήθει*, cui nupta est.

5) sive Aeneas, cf. Herib. Meyer, de Anth. Pal. epigr. Cyz. 1911 p. 80 ss.

6) matrem magnam partem egisse ex eo elucet, quod eius gratia Harpagus infanti pepercit: I 109.

7) sed confer quod diximus de frg. 594 *ἐρρηνοβοσκός*.

accipimus Sophoclis auctorem.[1]) sed quod scholiasta (ad Il. 10_{334}) diserte exhibet 'κύων ἀφαιρεθέντων αὐτῆς τῶν πόνων', hoc redolet Hdteam pastoris uxorem Cyno, cuius partu editus morte abreptus est, aut potius huius versionis rationalis fundamentum mythicum.

Summa igitur fabulae Sophocleae sic constituimus: Tyro a noverca vexata in aquando res habet cum Neptuno, ex quo concipit geminos clam exponendos: expositi ab equo tusi et a cane nutriti a caprario educantur. adulti a pastore edocti conveniunt cum matre liberanda in puteo, agnoscuntur ex alveo, poenas repetunt a Siderone. quo facto in summum discrimen redacti ab avo quoque cognoscuntur.[2])

Iam ut finem dissertationis in unum complectamur: ἀναγνώρισις illa Romuli narratione praebita utrum ex ipso Hdto sumpta sit, an in Sophoctis Tyrone iam usurpata fuerit, propter tragoediam Sophocleam nimis mutilatam prorsus discernere non possumus; tamen per se maiorem prae se fert probabilitatem ea ratio, qua constituitur cunctam Romuli fabulam e sola Tyrone esse translatam nullo alio argumento aliunde inculcato.[3])

Hic vero tangere iam liceat frg. 601 (utra ex Tyrone profectum sit, dubium): 'μήπω μέγ' εἴπῃς, πρὶν τελευτήσαντ' ἴδῃς', quod redolet illud Solonis dictum celeberrimum ab Hdto traditum (1_{31}). sed de hac re postea; nunc sufficiat praedicare hunc locum recentiorem esse exitu Oedipi regis, quoniam dicti sensus in hominem singularem apparet translatus: quod dramatis acti (nempe Tyronis alterius) tempus confirmatur allusione ab Aristophane Avium v. 275 (quae comoedia docta est a. 414) et Lysistratae (a. 410) v. 138 facta. neque enim comicus, ut quae tragoedia peteretur, spectatores intellegerent, respicere debuit in fabulam multo ante actam.

1) neque Nelei veriloquium (schol. Il. 10_{334}: ἐπεὶ κύων κατηλέησεν) meo quidem iudicio aetati saec. V. exiens antecedenti potest tribui. ceterum quod Weizsaecker (in Roscheri lex. myth. III 107_{42}) contendit: 'die Sage von den Umständen bei der Auffindung der Zwillinge u. von ihrer Ernährung durch eine Kuh (?) u. Hündin verdankt ihre Entstehung jedenfalls dem Bedürfnis für eine Erklärung ihrer Namen', non intellego, cur propterea canis sit inventa ad Neleum explicandum: haec argumentatio non sufficit!

2) item et Cyrus et Remus ad superbiae poenas solvendas arcessiti agnoscuntur ab avo.

3) nescio an alicuius momenti sit, quod ut Tyro in altera fama ab ipso Neptuno (Enipei aemulo), altera a Sisypho geminos parit, ita Iliam comprimit modo Mars ipse modo Amulius Martis persona abditus (Dion. Hal. I 77 et Plut. Rom. 4): id certe supplendum est libro a Weinreich conscripto de fraude Nectanebi 1911, quod argumentum fortasse aliquid valet ad temporum rationes constituendas.

D. DE AIACIS PROLOGO.

Novum genus argumentorum a Sophocle ex Hdti historiis sumptorum detexisse mihi videor initio Aiacis tragoediae: tota enim scaena mirum quantum conspirat cum capite quodam Hdteo; dico fabulam de Candaule Gygeque narratam. atque ut statim summam enuntiem: aliquis impellit alterum acriter recusantem, ut se ipsum aucupetur ex insidiis colloquentem cum tertia quadam persona ludificanda.[1]) apud Hdtum fabula exstat l. 1 cc. 8—10, cuius argumentum hoc est: Candaules, rex Lydorum, ut Gygi satelliti suo, quanta pulchritudine sua uxor sit, persuadeat, acerrime cohortatur, ut inspiciat mulierem nudatam, cum rex et regina eant cubitum.[2]) et in Aiace ineunte res ita se habent (vv. 66 ss.): Ulixes ab Achaeis missus est exploratum, quid Aiaci factum sit. heroem enim insania constrictum pecudes obtruncasse suspicantur quidem Graeci nec vero certi quicquam habent cognitum. speculator autem a dea adiutrice pellicitur, ut numine divino abditus inspiciat heroem vesanum e tentorii tutela egressum ad deae colloquium.

Aequae ergo sunt utriusque fabulae condiciones: et Gyges et Ulixes inviti et precibus frustra effusis a dominis faventibus coguntur, ut miseras illas personas intueantur nudatas; nam Aiacis quoque, qui pessima insania oppressus non debuit incidere in visum spectatorum, tamquam nuditas producitur in oculos spectatoris latentis.[3]) et qui iubetur frui fraude oblata, omnibus suis viribus recusat, quominus in spectaculo adsit: ambages profert, timorem confitetur frustra. corruptor, quin firmissimum praesenti praebeat testimonium, non desistit, donec illum pellexit ac permovit, ut ipso adiuvante prostitutae personae perferret adspectum.[4])

1) simplex quidem argumentum, si quis quas personas aucupatur, nihil prae se fert proprii. velut in ipso hoc mytho invenitur: Lesches enim in Iliade minore fecit puellas Troicas (captivorum loco scrutandorum), iudicium cum ferrent de praemio certaminis inter Aiacem Ulixemque exorti, sublectas a speculatoribus sub Troiae moenibus (cf. excerpta Procli): eundemque Leschem secutus Soph. finxit Aiacem insania instrictum. contra hic aliter res se habet: unus enim decipitur ab altero, qui ipse tertium collocet in insidiis.

2) hoc loco de ea fabula accuratius agere nil iuvat; delego ad inquisitionem Caroli Fries inscriptam Šušanna (Orient. Lit. Ztg. 113 1910 p. 346); et K. Fl. Smith, the tale of Gyges and the King of Lydia (Amer. Journ. of Philol. 23 1902 p. 261 s., 361 s.); cf. etiam Esther I 11.

3) de insania a tragicis in scaena ficta agit H. Harries, naturalistische Darstellung seelischer Affekte in der tragischen Kunst der Griechen 1903.

4) quam ad scaenam perspiciendam optime conveniunt verba Hdti (c. 8): *ὦτα γὰρ τυγχάνει ἀνθρώποισι ἐόντα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν.* quae eo magis

Immo cum Aiax crudelissimam poenam illaturus est Ulixi, quem subesse putat, nonne memoria inest mortis, quam regina minitatur in Gygem, qui ipsam ignominia gravissima affecerit? atque etiam ad aliqua verba uterque locus concinit; velut v. 68 ss.:

θαρσῶν δὲ μίμνε, μηδὲ συμφορὰν δέχου
τὸν ἄνδρ᾽· ἐγὼ γὰρ ὀμμάτων ἀποστρόφους
αὐγὰς ἀπείρξω σὴν πρόσοψιν εἰσιδεῖν.

cum Hdti c. 9: *θάρσει, Γύγη, καὶ μὴ φοβεῦ μήτε ἐμέ, ὥς σεο πειρώμενος λέγω λόγον τόνδε,*[1]) *μήτε γυναῖκα τὴν ἐμήν, μή τί τοι ἐξ αὐτῆς γένηται βλάβος· ἀρχὴν γὰρ ἐγὼ μηχανήσομαι οὕτω ὥστε μηδὲ μαθεῖν μιν ὀφθεῖσαν ὑπὸ σεῦ.* item cum verbis: *ἐχώρεε ἔξω* v. 88: *ἤθελον δ᾽ ἂν ἐκτὸς ὢν τυχεῖν.*[2])

Hanc vero scaenam Soph. non ideo assumpsit, ut historico tribueret laudem, sed ut tragoediam suam exornaret; imitatio est talis, qualis plerumque observatur in litterarum historia: tragicus indigebat eius scaenae, ut Aiacem produceret insania obstrictum. qua enim ratione speculator succedere poterat ad infelicem, ut suis oculis perciperet vecordiam? neque enim sua sponte Aiax egressus est e tentorio. qua in difficultate poeta in mentem sibi revocavit illam fabulam Hdteam.[3])

afferenda esse videntur, quod schol. B ad Il. T 292 voci *εἶδον* addit: *ἐπιτείνεται τῇ ὄψει τὰ παθήματα. καὶ Σοφοκλῆς· ὄψις γὰρ ὤτων κριτικωτέρα πᾶσιν.* quos duos locos Creuzer in unum contulit, alii viri docti versum trimetrum efficere tentaverunt. atqui schol. T ad eundem v. ipsum Sophoclis versum desiderari nos edocuit, cum exhibet: *καὶ ὁ Σοφοκλῆς· ἡ γὰρ ὄψις οὐ πάρα* (Oed. R. 1238). etsi quae sententia subiecta est utrique loco, est eadem, et quam Bernays (Heraclitea = ges. Abh. I 1885 p. 8) comparat cum Heracliti fragm. 12 B 101a Diels FVS: '*ὀφθαλμοὶ τῶν ὤτων ἀκριβέστεροι μάρτυρες*'. eius nimirum proverbii cogitatio facile intellegitur, ita ut alia quoque exempla afferri possunt permulta: velut Aristoph. Eccl. 772 *ἀλλ᾽ ἰδὼν ἐπειθόμην*; Heliod. Aethiop. VIII 5 ex.; Soph. El. 761—3 simili ratione (unde facile transgredimur in eam comparationem, qua innumerabilibus fere litterarum locis *οἱ λόγοι* et *τὰ ἔργα* sibi opponuntur). plurimos qui hoc dictum repetierunt posterae aetatis scriptores indicant Wesseling ad Hdtum I 8 et Upton. ad Dionys. Hal. p. 42 (ed. Schaef.), quibus multa alia addidit C. F. Hermann, ad Lucian. quomodo hist. conscr. p. 183 s.

1) Minerva revera tentat Ulixem! cf. v. 79; quo de versu diserte egit Fr. Haussleiter, über Fragen der Sittlichkeit bei Soph. u. Eurip. 1908 p. 20.

2) quamquam iam extra domum est! an cum fabula in scaenam prodiret, Ulixes revera *ὄπισθε τῆς ἀνοιγομένης θύρης ἐστάθη*? Minervam in aequum scaenae locum prodiisse annotat Wilamowitz, Herakles I[1] 354_{26}.

3) sed amplius: ea fraus contingere non poterat nisi numine divino adiuvante. nonne memoria dignum est hanc scaenam apud Sophoclem esse singularem, quippe qua nobis offeratur deus, qui agit cum hominibus? [in Philoct. enim exeunte deus exsistit ex machina. quod quidem Ichneuta-

Licet autem assentiamur Roberto ingeniosissime concludenti arietem scyphi cuiusdam imagine pictum referendum esse ad Aiacis fabulam,[1]) tamen quod contendit Ericus Müller[2]) Minervam una cum Ulixe ad ipsum Aiacis tentorium venisse, certe non probatur. immo obstat scyphi testula. qua re poetae tragico maiorem tribuerim auctoritatem nisus hypothesis testimonio, cum grammaticus satis certo exhibeat: *δαιμονίως δὲ εἰσφέρει προλογίζουσαν τὴν Ἀθηνᾶν· ἀπίθανον γὰρ τὸν Αἴαντα προϊόντα εἰπεῖν περὶ τῶν αὐτῷ πεπραγμένων ὥσπερ ἐξελέγχοντα ἑαυτόν.* nec consentio cum Muellero scholiastae sententiam repellenti (l. l.); nam fides certissima, quae postulabatur, a solo heroe ipso poterat accipi.[3])

III. DE SINGULIS SENTENTIIS.

Ea argumenta Hdtea a Sophocle expressa, quae adhuc tractavimus, eminentiora fecimus propterea, quod ad fabulae fundamentum exornandum magnam vim habuerint; quorum nimirum haud ita multa exempla praesto sunt, tamen Hdti auctoritatem in Sophoclis tragoedias habitam probant planissime. contra singulae sententiae, quas repetendas esse ex Hdti libris verisimillimum est, quamvis magno nu-

rum dramate satyrico ineunte in scaenam prodit Apollo, cuius verecundia optime servatur, exeunte sine dubio etiam Mercurius, ea res prorsus aliter se habet. — huc spectare videtur, quod Soph. raro tantum fabulas adit mysticas Liberi (*῾Υδροφόροι*) Herculisque et deorum historias (*Νιόβη*): cf. Christ-Schmid, gr. Lit. I 326; quo nunc accedunt *Ἰχνευταί*.] qua de re Rohde dicit (Psyche 2_{238}): 'durchaus bleibt die Majestät des göttlichen Waltens im Hintergrund, mischt sich nicht vertraulich oder derb eingreifend in die menschlichen Geschicke: die Haltung der Athene im Prolog des Aias macht eine Ausnahme': ac profecto Minerva Atheniensium patrona in partem deteriorem invidiamque trahitur (cf. Haussleiter l. l.)

1) homerische Becher, 50. Winckelmannsprogr. 1890 p. 34 s.

2) de graec. deorum partibus tragicis 1911 = religionsgesch. Versuche VIII 3 p. 48 s.

3) quod quidem J. van Leeuwen (comment. de Aiacis Soph. authentia et integritate 1881 p. 108 ss.) a principio Aiacem tragoediam initium cepisse coniecit a parodo (v. 134): quamquam haec prologus non multum valet reliquam ad fabulam, tamen illa coniectura parum est probabilis (cf. v. Karajan, in Anal. Graeciens. 1893 p. 179). — maioris profecto existimo, quod dubitatio ea, quae conflari potest e temporum ratione (quoniam Aiax septem tragoediarum plerumque habita est vetustissima, cui rei Nieberding, Soph. u. Hdt. p. 23 adscripsit: 'Aias ist bemerkenswerterweise das einzige erhaltene Stück des Soph., das keine mit Bestimmtheit nachzuweisende Beziehungen auf Hdt. enthält'), solvitur eo fabularum ordine, quem profert certis argumentis nisus v. Wilamowitz (N. Jb. 29 1912 p. 461), cum ante Aiacem ponit Antigonam.

mero praebeantur, tamen debiles sunt eo, quod quatenus ex Hdti historiis sive per litteras sive per colloquium in tragici memoriam pervenerint, certum ad finem vix potest comprobari. huc accedit, quod tales sententiae, quippe quae paucis tantum versibus contineantur, a criticis facillime iudicantur interpolatae si non aliam ob causam, tamen propter artam cum libris Hdteis affinitatem. atqui hoc ab initio est tenendum: quis est qui magis, ut Hdti verba ipse reddat, pelliciatur, nisi familiarissimus et aequalis? neque ex aequo litterarum genere mutuatus est auctor, quae res magni momenti est apud Graecos, et valet aliquantum numerus exemplorum: unum vocari potest in dubium, complura habent fidem summam. omnes vero hi loci, quos accurate contemplemur, digni sunt.

A. DE MATRIMONIO PER SOMNIUM CUM MATRE INITO.

Hac quoque in dissertationis parte primum exhibemus aliquod somnium in Oed. Reg. (v. 981 ss.) significatum: Iocasta enim ut Oedipum maritum ex omni, quo versetur, timore eripiat, ne secundum Apollinis oraculum nuptias faciat cum sua ipsius matre, exclamat:

πολλοὶ γὰρ ἤδη κἀν ὀνείρασιν βροτῶν
μητρὶ ξυνηυνάσθησαν.

atque apud Hdtum (VI 107) Hippias revera nocte antequam Athenienses apud Marathonem congressi sunt cum Persis, sibi videtur matri concubuisse.[1]) ac profecto haud raro evenisse tales species[2]), intellegimus ex Artemidori inquisitionibus.[3]) attamen a principio tragicum in animo habuisse certum quendam casum verisimile est, cuius memoriam apud audientes repetiverit[4]); rem enim exhiberi omnibus notissimam maximi erat momenti: ubi praesto erat Hippiae fabula ab Hdto paulo ante narrata. an Soph. ex communi Atheniensium traditione rem hausit? Hippias quidem stetit a Persarum partibus; tamen

1) quae quidem species a veteribus existimatur felix: sic Hippias suspicatur reditum in patriam, ut sit moriturus *ἐν τῇ ἑωυτοῦ*. et Suetonius in Iuli Caesaris vita (c. 7) refert: 'visus erat per quietem stuprum matri intulisse; — coniectores ad amplissimam spem incitaverunt'. ubi asserere mihi liceat id, quod docet Talmud, qui vocatur Iudaeorum liber sacer (Tr. Berach. 57_1): qui in somnio matrem per coitum vitiet, ei indicari spem sapientiae.

2) quarum mentionem fecit etiam Plato (reipubl. VII 571): *περὶ τὸν ὕπνον — μητρὶ ἐπιχειρεῖν μείγνυσθαι, ὡς οἴεται, οὐδὲν ὀκνεῖ* (cf. Cicero, de div. I 29).

3) Onirocr. p. 76_8 ed. Herch.: *ὁ δὲ περὶ μητρὸς λόγος ὢν ποικίλος καὶ πολυμερὴς καὶ πολλὴν ἐπιδεχόμενος διαίρεσιν, πολλοὺς τῶν ὀνειροκριτῶν διέφυγεν*: summa autem rerum est secunda.

4) cf. A. Schöll, Antig. german. redd. p. 66.

ex ea una causa certe confirmare non audeo Hdtum famam recepisse e Persarum historiis, non ex ore Atheniensium. sed verisimilius fit Sophoclem memoriam suam repetisse ex Hdti narratione. accedit quod hoc loco poetae somni inserendi non erat necessitas; sed idcirco modo, quod Oedipus pervenire debebat in summam sinceritatem, tragicus studuit, quomodo dictum Apollinis inevitabile posset debilitare in obnoxiorum animis. namque quantam vim et Hdtus et Soph. talibus prodigiis somno oblatis tribuerint, satis notum est: quot enim insomnia ab utroque exhibentur! quae res nimirum pendet ex aequis utriusque sensibus religiosis: hac quoque in re animi facultatibus et indole ambo erant affines. quo magis est mirandum, quod hic illa species adhibetur, ut Apollinis oraculum irritum fiat. sed tenendum est rem enuntiare Iocastam, quae summa numinis divini fingatur contemptrix.[1])

B. DE DICTO SOLONIS.

Sed maiorem in difficultatem invadimus, si oculos vertimus ad illud celeberrimum Solonis dictum, quod in quantis deliciis fuerit apud Graecos, apparet ex eo, quod identidem a veteribus adhibitum est. atqui eorum verborum sententia iam ante Sophoclis tempora nobis obviam fit, ita ut tragicum ab ipso Hdto accepisse suam sententiae formam non facile demonstretur. tamen nonnulla possunt constitui. namque in Solonis dictum contemplandum praecipue adhibemus ea, quae huius dissertationis initio exposuimus de communi utriusque condicionum fundamento. iste enim sensus inconstantis ac labentis fortunae humanae, qui 'spem nos vetat incohare longam', quoniam 'scire nefas, quem mihi, quem tibi finem di dederint', cum omnibus, quippe qui simus homines, est innatus, tum a Graecis saepenumero enuntiatus est. unde oriuntur mentium voluntates duae: aut propter huius vitae inanitatem ac debilitatem usque ad fundum exhauriamus necesse est aetatis praesentis voluptates secundum illud 'carpe diem', aut principatum tenet desperatio, cui vivere nullius pretii est. haec quoque vitae vilitas obviam nobis fit in scriptis et Sophoclis et Hdti. etenim in Oed. Col. (v. 1224) chorus cantat:

μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νικᾷ λόγον· τὸ δ' ἐπεὶ φανῇ,
βῆναι κεῖθεν ὅθεν περ ἥκει, πολὺ δεύτερον, ὡς τάχιστα.

quae eadem vitae tristis satietas elucet e verbis Artabani (Hdt VII 46): *ἐν γὰρ οὕτω βραχέϊ βίῳ οὐδεὶς οὕτω ἄνθρωπος ἐὼν εὐδαίμων*

1) eademque res est, si Astyagi Magi contendunt, quandoquidem Cyrus rex evaserit in puerorum ludis, nullum iam imminere periculum (c. 120: *ἀποσκήψαντος τοῦ ἐνυπνίου ἐς φλαῦρον*, c. 121: *δι' ὄψιν ὀνείρου οὐ τελέην*). opinio est eadem: species parum eventu exspectato comprobatur.

πέφυκε, τῷ οὐ παραστήσεται πολλάκις καὶ οὐκὶ ἅπαξ τεθνάναι βούλεσθαι μᾶλλον ἢ ζώειν. nec vero hoc concentu aliud quicquam efficitur ad rationes inter scriptorem et poetam constituendas litterarias, nisi ut utrumque ex aequo fundamento exstruxisse opus suum intellegamus. eandem enim cogitationem professi erant etiam priores, velut Theognis (v. 425 ss.), Hesiodus (Cert. 74 s.); tum Euripides (Belleroph. fr. 285_1 s., 908)[1]; atque apud Bacchylidem misera omnium rerum desperatio iam ad summum perducta est, quippe cuius carm. V 160 ss. Hercules oculis lacrimantibus numquam natum esse, numquam solis lumen aspicere mortalibus confiteatur summam esse felicitatem; hac vero rerum contemplatione impulsus Soph. composuit Oedipum regem, gravissimam inconstantis fortunae humanae tragoediam.

Et hic sensus etiam narrationi Solonis Hdteae suppositus est in fabula de Cleobi et Bitone allata: pulcherrimum enim deae praemium profecto est mors matura.[2])

Contra dicto Solonis, quod non est hominis desperati, enuntiatur tantum omnium rerum humanarum inconstantia, cum doceatur neminem ante diem supremum praedicandum esse beatum. ne haec quidem opinio ceteris Graecis prorsus est ignota.[3]) atqui hic in censum venit conceptio subtilis et elegans: hac vero ratione inter Hdti et Sophoclis locos artum vinculum esse constituendum iam accuratius exponemus.[4])

1) cf. M. Heinze, d. Eudaemonismus in d. griech. Philos., in Act. Acad. Sax. 1883 p. 677_1. Lasaulx, de mortis dominatu in veteres 1835 p. 47 ss., alia exempla collegit C. Fries in Mus. Rhen. 1904 p. 202. Stobaeus Florilegii cap. 105 inscripto: *Ὅτι ἀβέβαιος ἡ τῶν ἀνθρώπων εὐπραξία, μεταπιπτούσης ῥᾳδίως τῆς τύχης* permultos locos (paragr. 63) exhibet magis minusve aptos.

2) c. 31: *διέδεξέ τε ἐν τούτοισι ὁ θεὸς ὡς ἄμεινον εἴη ἀνθρώπῳ τεθνάναι μᾶλλον ἢ ζώειν.* cf. Nestle, Philol. 70, 1911 p. 264.

3) is sensus subiectus est etiam dicto Ies. Sirach. 11_{29}: *πρὸ τελευτῆς μὴ μακάριζε μηδένα.*

4) ita in mente pietati dedita numinis divini est parvum augere, magnum deruere (Hsd. *Ἐκή* 5—8, Soph. Antig. 1158 s., Eurip. Troad. 612 15, 636). quamquam difficile est finem constituere firmum dictis cum dicto Solonis sensu cohaerentibus, quae sunt de fortunae humanae inanitate ac debilitate. affero Semonidis Amorg. fr. 85 *οὐκ ἔστ' ἀνεπιδόκητον ἀνθρώποις, ὀλίγῳ δὲ χρόνῳ πάντα μεταρρίπτει θεός,* cf. Pind. Pyth. VIII 76 ss. Quo iam propius accedit Aeschylus, qui dicit (Agam. 919 s.): *ὀλβίσαι δὲ χρὴ βίον τελευτήσαντ' ἐν εὐεστοῖ φίλῃ.* attamen multo certius est Oed. Regis vv. 1528—30 sententiae verba spectare in enuntiatum Solonis; profecto ubi primum Solonis cum Croeso colloquentis fabula apud Atticos volgata est, cum eius sententiae mentio fiebat, tum mens necessario reducebatur in illam fabulam; praesertim si vel ad verbum dicta inter se concinebant.

Ad ipsam fabulam Hdteam pervenimus; fabulam dico, quippe quae parum conveniat ad Solonem, qualis in historiae luce versatur.[1]) et nunc iam constat inter omnes viros doctos illum Solonis Croesique congressum non revera evenisse, iam propter temporum rationes.[2])

Novum subsidium accedit carminibus Bacchylideis repertis: Bacchylides enim, qui c. 3 Croesi mentionem facit, profert, ni omnes res fallunt, antiquam fabulam vulgarem (cf. Meiser, p. 20 ss.), qua Croesus prorsus devictus ac suis rebus desperatus ipse sua sponte in rogum ingreditur; sed ob pietatem imbre immisso ab Iove servatur: ergo ne minima quidem ratio exstat cum Solone.[3])

Relatio autem Hdtea si propior est fabulae quam historiae, non sane effluxit e Solonis hereditate poetica.[4]) hoc quidem probabile mihi

1) cf. Ed. Meyer, Forschungen z. alt. Gesch. II 1899 p. 260.

2) cf. Busolt, griech. Gesch. II² 300₂, R. Schubert, die Könige v. Lydien p. 74 ss., O. Meiser, vom Ende des Königs Kroisos, 1907 p. 30 ss.

3) atqui non iam possumus sequi Niesium, qui contenderat („zur Geschichte Solons u. seiner Zeit“ in disquisitionibus historicis in honorem Arnoldi Schaefer 1882) totam Croesi Solonisque fabulam Lydorum solum traditioni historicae deberi: potius studium erat coniungendi cunctos illius aevi qui dicebantur sapientes cum Croeso rege (cf. Meiser p. 31 ss.); quod studium videmus iam apud Hdtum (I 29: *ἀπικνέονται ἐς Σάρδις — — ἄλλοι τε οἱ πάντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος σοφισταί* —; c. 27 colloquuntur cum Croeso Bias et Pittacus); et fortasse etiam Pindaro septem sapientium ad Croesum congressus notus erat, quod concludi potest e Pyth. I 94. qua quidem ex parte hoc studium congerendi ortum sit, vix potest dici: alii putant fontem Delphicum, velut H. Preuß „de fabulis apud Bacchylidem“ inscr. dissert. (1902), cui obloquitur Sitzler (Burs. Jb. 133 (1907) p. 233), alii Atticum. qua de re profert A. Nebe (Preuß. Jahrb. 113 (1903) p. 475) haec ‘und schließlich hat die Sage der geschichtl. Möglichkeit zum Trotz Sol. u. Kr. zusammengeführt; ich sage absichtlich „die Sage“, denn der Poet, der diese Züge so wirksam gruppiert hat, ist ein größerer als Hdt — nämlich das griech. Volk’. hac vero ratione intellegitur temporum perturbatio, quae sine dubio inest in illa fabula, etsi Hdtus ipse illos vocat aequales (c. 29). et ratione solita iter fictum est ad viros clarissimos conducendos (de qua re egit Erdmannsdörffer, das Zeitalter der Novelle in Hellas 1870: ‘die Fingierung von Reisen — ist einer der weitverbreitetsten poetischen Handgriffe über d. Gebiet aller Literaturen hin. — wen die Volkssage lieb hat, den schickt sie gern auf Reisen. Es reizt sie, auf diese Weise bedeutende Persönlichkeiten aus weit entlegenen Kreisen miteinander in Berührung zu setzen u. sie gleichsam aneinander zu messen’). itaque ut barbaris quam maxime opponerentur Graeci homines paucis contenti, narratio certo quodam consilio ficta est (cf. M. Heinze l. l. p. 682).

4) nam quod affertur testimonium fragm. 14 (Bergk PLG): *οὐδὲ μάκαρ οὐδεὶς πέλεται βροτός, ἀλλὰ πονηροὶ πάντες, ὅσους θνητοὺς ἠέλιος καθορᾷ*, longius abest ab hac sententia. neque magis tribuenda est Atticae traditioni vere historicae, cui non erat cur vinculum conecteret cum rege Lydo-

videtur Sophocli non iam per se illam fabulam notam fuisse neque Atheniensibus, quamquam hos ipsos de suo Solone aliquid novi audire iuvabat: licet Hdtus historiam redintegraverit.[1])

Nunc istius Soloneae, quae dicitur, sententiae accuratius contemplandae sunt diversae formae: qui labor magnam partem levatus est inquisitione Friderici Marx[2]), qui diversas formas collegit et disposuit. nec quicquam gravius videtur addendum eius summae rerum. suo enim iure, ut infra videbimus, auctor e locis collatis conclusit Euripidem, ubi primum Sophoclis Oed. Rex in scaenam prodiisset, formam sententiae eius Sophocleam adamasse adeoque in deliciis habuisse, ut semel atque iterum ipse quoque eandem usurparet, cum versus illius tragoediae extremos quam firmissime memoriae suae impressisset: quam ob rem mirum sane est, quod is exitus nuper demum iudicatus est spurius a Mayerhoefero.[3])

Etenim is enuntiat Sophoclem solitum esse tragoediarum versibus extremis leniter tangere actionis praegredientis summam aut ex ea cogere conclusionem: atqui hoc ipsum etiam in Oed. Rege valere mihi videtur, in hoc inconstantis fortunae dramate. tota enim profecto tragoedia nihil est nisi sententiae Soloneae exemplar sensibus subiectum. neque pravitas neque ambitus sententiae exeuntis tanta sunt, quanta auctor nobis studet persuadere. immo dramatis summa, qua Oedipi fortuna e felicissima mutatur in pessimam, hoc exitu exponitur.[4])

rum. potius tenenda est origo Delphica, quamvis Persis inimicum sit consilium. huc ducimur eis quoque verbis, quibus Pythia a Croesi acerbati legatis se defendit (I 91): *δεύτερα δὲ τούτων καιομένῳ αὐτῷ ἐπήρκεσε.* an in oris Asiae Ionicis, ubi plerique sedem habuerant horum sapientium, fabulae sunt fictae? hac condicione rationes cum Lydis initae facilius intelleguntur. sic Meiser p. 35 s. memoriam repetit e narratoribus fabularum Lydoionicis, coniunctam cum traditione Delphico ex oraculo profecta.

1) quod quidem Meiser addit: 'besonders das Gespräch zw. Kroisos u. Solon (c. 30—34) macht den Eindruck einer durchaus selbständigen Konzeption; der Geschichtsschreiber ergriff hier die ihm willkommene Gelegenheit, seine Gedanken über Gott u. Welt durch den Mund des Solon zu verkünden' (similiter Stein in prol. edit. I[6] 36), in universum assentior, nec tamen ipsum illud dictum concisum historicus finxit per mendacium.

2) inter scripta in Gomperzi honorem composita 1902.

3) dissert. a. 1908 inscripta 'über die Schlüsse der erhaltenen griech. Tragödien'.

4) ac dummodo poeta hic „eine höchst triviale und überraschend nichtssagende Sentenz aufgetischt hat" (ut exclamat Mayerhoefer p. 17), cur Euripides non dubitabat identidem eandem sententiam eisdem fere verbis pronuntiare? is qui omni laude dignus habeatur propter sententias suas summo ingenio prolatas! et loci illi Euripidei eodem modo quo Sophocleus in oratione extrema sunt positi. accedit quod Sophocles primus erat, qui

Atque etiam chori canticum proximum versibus extremis optime propagatur.[1])

Sed quia tales de pulchritudine cogitationes, praesertim si rectum modum transeunt, nimis lubricae sunt, quam quibus nisus argumentis unicis quisquam quosdam versus possit delere aut defendere, nos convertimus ad argumenta extrinsecus petita, quibus usus Mayerh. versus subditos esse vult confirmare.

Non integros esse versus ab omnibus fere facile conceditur, quoniam verbi *δεῖ* notio desideratur aut *ἰδεῖν* infinitivus paene non intellegitur. atqui Fr. Marx coniecit pro *ἐπισκοποῦντα*: *πρέπει σκ.*, cui coniecturae astipulor, cum hac ratione versus suspiciosi optimum praebeant sensum.

Maximi autem momenti esse videtur, quod scholiasta ad Oed. Reg. v. 1523 exhibet: *αὐτάρκως ἔχει τὸ δρᾶμα. τὰ γὰρ ἑξῆς ἀνοίκεια γνωμολογοῦντος Οἰδίποδος.* sed mea sententia id scholion non tam grave est. nam licet insit significatio ea, quam credit Mayerh., scilicet scholii auctori versus insequentes spurios esse fuisse persuasum; tamen id modo comperimus ob solum dedecoris opprobrium versus habitos esse spurios; quodlibet enim pravitatis argumentum grammaticus arcessisset, dummodo praesto fuisset. accedit quod scholii verbis non tam diserte versus probantur subditi. namque forsitan hoc quoque modo possunt verba intellegi: scholiastam in manibus habuisse Phoenissarum Euripideae trag. versus parallelos (1758 ss.) probatur scholio ad v. 1525, ubi variae lectiones ex Eur. Phoen. v. 1759 afferuntur. neque prorsus consentire utrumque locum, sed aliqua ex parte differre vidit: nempe in eo, cui personae verba attributa essent. itaque addidit: ʻtamen hoc drama suae potestatis est (i. e.: non pror-

hoc ipsius Solonis (secundum Hdti narrationem) dictum in versus formam redigeret, contra Euripides imitator tantum erat. Sophoclem profecto ipsum istam sententiam existimasse non tam pravam et communem, quam putat Mayerh., satis elucet ex eo, quod eodem dicto usus est in Trachiniarum prooemio; namque ne primis quidem tragoediae versibus insulsitatem committebat poeta is, qui quanta vis inesset dramatis initio ad spectatorum animos movendos, haud ignoraret.

1) tum enim nebula diffusa ante omnium animos quae facinora immania essent commissa, manifesto erat dilatatum, et Oedipus tota vi calamitatis oppressus in domum regiam erat latus; nec vero iam in Oedipi ipsius personam irruerat eventus. nunc autem omnia sunt confecta, rex infelicissimus reddidit rationes facinorum. et id quod chorus antea fortasse coniecit, iam ante oculos est positum: chorus incohaverat summae gravitatis canticum, quo omnium rerum humanarum inconstantiam contemplatus Oedipi ruinam miserrimam habuit pro exemplo; nunc vero suspicionis testimonium praebetur ipsa regis persona crudelissime dilacerata.

sus cohaeret cum Euripideo); sequentia enim verba inepta essent, si ea Oedipus pronuntiaret; Phoen. autem versus rex, non chorus dicit'. hoc enim Phoeniss. exitu (v. 1758—63) extremos Oed. Regis versus imitatus est Euripides[1]): aequum erat, si tragicus posterior antecessoris menda cognovit ac correxit, quam emendationem equidem tribuere non dubitaverim ignoto cuidam poetae: cur fieri non potuit, ut Sophocles quoque erraret? hic autem certa causa impulsus erat, fabula Hdtea.[2])

Praeterea considerandum est, quoties Euripides illam sententiam eisdem fere verbis in usum vocaverit; atque ut Marx optime demonstravit, singulae versuum Sophocleorum partes dispertitae sunt in diversas Euripidis tragoedias; nec vero invicem excerpi poterant singula fragmina et in unum concludi[3]): inversa profecto versio est recta.[4])

Iam de ipsa imitatione dicendum est. etenim ut supra exposuimus, iam ante Soph. tragoediam sententia illa quamvis diversis verbis exhibita est; sed Soph. demum eam enuntiati formam inauguravit, quae ab Euripide identidem usurpata dicti gloriam propagavit. quos locos Euripideos Marx satis ubertim tractavit, ita ut nihil possim addere. sed de ipsis verbis cum Solonis dicto Hdteo concinentibus disseramus. ac primum hos locos proponam: Hdtus memoriae prodidit Solonis verba haec (c. 32 med.): '*πρὶν δ' ἂν τελευτήσῃ, ἐπισχεῖν, μηδὲ καλέσειν κω ὄλβιον, ἀλλ' εὐτυχέα* —, (extr.): *σκοπέειν δὲ χρὴ παντὸς χρήματος τὴν τελευτήν, κῇ ἀποβήσεται. πολλοῖσι γὰρ δὴ ὑποδέξας ὄλβιον ὁ θεὸς προρρίζους ἀνέτρεψε* —. (c. 33): *κάρτα δόξας ἀμαθέα εἶναι, ὃς τὰ παρεόντα ἀγαθὰ μετεὶς τὴν τελευτὴν*

1) sive interpolator v. 1737—63, quibus iteratos esse v. 1710—36 contendit Wilamowitz (in Act. Acad. Berol. 1903).

2) etiam Phoen. v. 1688: *ὁ δ' Οἰδίπους ποῦ καὶ τὰ κλείν' αἰνίγματα;* [qui ipse proverbii loco habetur a Plutarcho (an seni sit ger. resp. 1_{11} p. 784 A)] satis perlucide spectat in Oed. Sophocleae exemplum (v. 1524 s.) [ut versus insequens (Phoen. 1689) prorsus haeret ex Oed. Reg. v. 438]. et genuinos esse istos Oed. R. vv. probatur ni fallor etiam Oed. Col. v. 1720: *ἀλλ' ἐπεὶ ὀλβίως γ' ἔλυσεν τὸ τέλος βίου*, cui Schneidewin adicit: 'der Dichter scheint hiermit ausdrücklich auf die solonische Schlußsentenz des Oed. R. 1527 ff. hinzudeuten u. damit an den tiefen Gegensatz beider Dramen u. ihrer Handlung zu erinnern'.

3) quamquam id contendit Mayerh. p. 20.

4) si Marx recte coniecit (p. 135) Sophoclem v. 1526 imitatum esse Aeschyli Septem 755 s., etiam appellatio *ὦ πάτρας Θήβης ἔνοικοι* intellegitur: adaptata est ad Aeschyli verba *ξυνέστιοι πόλεος*. itaque quin illi vv. prolati sint non dubito a choro, qui in singulas ipsius personas se vertit (qua de re plura disputavit Wecklein, art. Soph. emend. 1869) p. 167).

παντὸς χρήματος ὁρᾶν ἐκέλευε'. et Sophoclis vv. sunt hi (Oed. R. 1528—30):

'*ὥστε θνητὸν ὄντα κείνην τὴν τελευταίαν ἰδεῖν*
ἡμέραν πρέπει[1]) *σκοποῦντα μηδέν' ὀλβίζειν, πρὶν ἂν*
τέρμα τοῦ βίου περάσῃ μηδὲν ἀλγεινὸν παθών'.

Euripidei autem loci huc spectant hi:

Androm. 100 ss. (fabulae actae lustro a. 430—426):

'*χρὴ δ' οὔποτ' εἰπεῖν οὐδέν' ὄλβιον βροτῶν,*
πρὶν ἂν θανόντος τὴν τελευταίαν ἴδῃς
ὅπως περάσας ἡμέραν ἥξει κάτω'.

eodemque fere tempore Heraclidarum vv. 864 ss. composuit:

'— *μαθεῖν,*
τὸν εὐτυχεῖν δοκοῦντα μὴ ζηλοῦν, πρὶν ἂν
θανόντ' ἴδῃ τις· ὡς ἐφήμεροι τύχαι'.

similesque loci (nec vero tam graves) sunt Troad. 509 s: *μηδένα νομίζετ' εὐτυχεῖν, πρὶν ἂν θάνῃ*; et Electr. 953—56: *ὥστε — μὴ —, πρὶν ἂν πέρας — ἵκηται*'. quibus Marx adnotavit (p. 137) hos locos Euripidis quattuor in exitu orationum esse positos, omnes exhibere *πρὶν ἄν*: quod idem invenimus et apud Soph. et apud Hdtum. ergo omnia ea exempla in unum esse complectenda manifestum est. ac ne de origine quidem dubitari potest. namque loci Euripidei spectant in Sophocleum, quoniam nullum fere verbum praebent, quin idem inveniamus iam in Oedipo exeunte. nam quod Heraclid. v. 866 dicitur: *ὡς ἐφήμεροι τύχαι*, exemplar etsi sunt Hdti verba: *ἡ ἑτέρη τῇ ἑτέρῃ ἡμέρῃ τὸ παράπαν οὐδὲν ὅμοιον προσάγει πρῆγμα*,[2]) causa tamen est illud *κείνην τὴν τελευταίαν ἡμέραν* (v. 1528) Sophocleum; hac vero voce *κείνην* comprobatur quam certissime origo Hdtea. id quod iam Marx agnovit (p. 136) professus illam diem esse *τουτέων τῶν ἁπασέων ἡμερέων τῶν ἐς τὰ ἑβδομήκοντα ἔτεα*, quas computaret Hdtus (c. 32 med.). et hanc dierum rationem quid mirum quod Sophocles animo suo infixit? iam supervacaneum est reliquas enumerare convenientias; affero tantum vocabulum *σκοπέειν* — *σκοποῦντα* (Oed. R. 1529). immo consensus fit perlucidior, si reliquos eiusdem sententiae locos ante Oed. Regem compositos comparabimus: Aeschyli Agam. v. 919 s. iam supra exscripsimus: *ὀλβίσαι δὲ χρὴ βίον τελευτήσαντ' ἐν εὐεστοῖ φίλῃ*. magis interest inspicere Eurip. Medeae v. 1228 ss. (quae fabula acta est a. 431):

1) Marxii emend. pro *ἐπι* —.
2) ita ut Euripides ipsum Hdti librum in manibus habuisse videatur.

θνητῶν γὰρ οὐδείς ἐστιν εὐδαίμων ἀνήρ·
ὄλβου δ᾽ἐπιρρυέντος εὐτυχέστερος
ἄλλου γένοιτ᾽ ἂν ἄλλος, εὐδαίμων δ᾽ἂν οὔ.

recte quidem Marx disserit (p. 138) evidenter haec verba scripta esse, antequam Oedipi Sophocleae exitum noverit poeta.[1]) attamen ille sententiam hausit ex historici libro ni fallor scripto. nam differentia inter *εὐτυχής* et *εὐδαίμων* vocabula idem significantia hic invenitur item atque in Hdti narratione.[2])

Sed restant illi loci, quibus Sophocles ipse idem dictum denuo protulit.[3]) primum, ut rem celeriter conficiam, dico Tyronis fr. 601 (iam supra laudatum):
μήπω μέγ᾽ εἴπῃς, πρὶν τελευτήσαντ᾽ ἴδῃς: valde redolet Oed. Reg. v. 1528 exeuntem: *τελευταίαν ἰδεῖν*; et posteriori tempori tribuendum est, quoniam sententiae significatio translata videtur in aliam rationem.

Contra simili modo atque in Eur. Medea (et apud Hdtum ipsum!) inter *εὐτυχής* et *ὄλβιος* discernitur fr. 588[4]):

οὐ χρή ποτ᾽ εὖ πράσσοντος ὀλβίσαι τύχας
ἀνδρός, πρὶν αὐτῷ παντελῶς ἤδη βίος
διεκπεραθῇ καὶ τελευτήσῃ βίον.

Herodoteae sententiae exemplar perspicuum est.

Minore fiducia ex Hdto repetam Trachiniarum initium, ubi dicitur (v. 1—3):

λόγος μὲν ἔστ᾽ ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανείς,
ὡς οὐκ ἂν αἰῶν᾽ ἐκμάθοις βροτῶν, πρὶν ἂν
θάνῃ τις, οὔτ᾽ εἰ χρηστὸς οὔτ᾽ εἴ τῳ κακός.

comparari possunt Hdti verba (c. 32 med.): *οὔκω λέγω, πρὶν τελευτήσαντα καλῶς τὸν αἰῶνα πύθωμαι.*[5]) et profecto fontem Hdteum

1) Euripides enim ubi primum eum habuit cognitum, ipse quoque eandem formam adtribuit.

2) qua de distinctione ab Hdto inter *ὄλβιος* et *εὐτυχής* (c. 32) adhibita egit W. Nestle in programm. (a. 1908) inscripto 'Hdts Verhältnis zur Philosophie u. Sophistik' p. 20 ss. et in libro 'Euripides, d. Dichter d. griech. Aufklärung' 1901 p. 499 s.

3) nam ipse quoque cum Antig. trag. componeret, eam sententiam alio modo expressit (v. 1156 s.):

οὐκ ἔσθ᾽, ὁποῖον στάντ᾽ ἂν ἀνθρώπου βίον
οὔτ᾽ αἰνέσαιμ᾽ ἂν οὔτε μεμψαίμην ποτέ.

4) e Soph. Tyndareo sive Alete: cf. Welcker, trag. graec. I 216.

5) qua in re aliquantum valet, quod haec vox *αἰών* apud Atticos significat aeternitatem, apud Ionicos vero scriptores idem est quod *βίος* (cf. Wittekind, Sermo Soph. p. 21).

agnoverunt etiam veteres; scholiasta enim ut eorum versuum significationem exponeret, narrationem Hdteam exscripsit.[1]) iam de voce λόγος ἀρχαῖος pauca addenda sunt. hoc enim loco illud dictum maioris momenti esse videtur. apud Bacchylidem quidem (V 160 ss.) invenimus hanc sententiam: θνατοῖσι μὴ φῦναι φέριστον κτλ. ubi condicio est haec: Hercules ad inferos degressus convenit cum Meleagro, qui eum, ut Deianiram peteret uxorem, commovet. quae fabula prisca, quippe quae simillima narretur a Pindaro et Phrynicho, repetenda est e fonte epico[2]), nempe ex Ἡρακλέους καταβάσει, qua eadem usus est etiam Sophocles[3]); ergo poeta tragicus illam quoque sententiam legit, sed commutavit secutus Hdti exemplum et introduxit verbis λόγος ἀρχαῖος. nam cum versuum contextui aptior fuerit plena vitae desperatio, cognoscitur coniunctio postea demum illata. nec verbum λόγος ἀρχαῖος obstat, quominus tragicus respexerit dictum Solonis narratum ab Hdto.[4])

C. DE ELECTRAE VV. 59—64.

Ad novam quaestionem transimus Electra fabula oblatam (vv. 59—64):

τί γάρ με λυπεῖ τοῦθ', ὅταν λόγῳ θανὼν
ἔργοισι σωθῶ κἀξενέγκωμαι κλέος;
δοκῶ μέν, οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν.
ἤδη γὰρ εἶδον πολλάκις καὶ τοὺς σοφοὺς
λόγῳ μάτην θνῄσκοντας · εἶθ', ὅταν δόμους
ἔλθωσιν αὖθις, ἐκτετίμηνται πλέον.

1) qui quidem accuratius scholium inspiciet, facile cognoscet scholiastam (eodem modo atque ad Oed. Col. v. 337) non ex ipso Hdto verba hausisse (cum Stobaeus Florileg. 105_{63} verba ad unum omnia exscripserit ex Halicarnassensis historia), sed ex alio scriptore, qui ipse Hdti libro omnem suam scientiam debuisset. nam praeter ornamenta rhetorica in eo tantum sui iuris est, quod responsum Delphicum praebet hexametro redactum, Hdtus autem oratione utitur indirecta: quod paulum stat, cum singula vocabula iam fuerint parata (c. 53 et 91) et Halys flumen quid praestiterit eluceat ex c. 28 et 75.

2) cf. Robert, Herm. 33 (1898) p. 151 ss. 157.

3) cf. Norden, Vergilius Aeneis VI (1903) p. 5_2.

4) ad extremum affero trag. fragm. adesp. 613: τέλος ὅρα μακροῦ βίου (apud Nauckium, trag. dict. ind. 1892 p. XXXI, qui similes locos exhibet complures). — nec prorsus alienum existimo, quod de Sophocle iudicat Phrynichus comicus in Μουσῶν fabula, quam συγκαθῆκε τοῖς Βατράχοις, ut observavit scriptor argumenti Oed. Col., qui hos ex ea versus attulit: μάκαρ Σοφοκλέης, ὃς πολὺν χρόνον βιοὺς ἀπέθανεν, εὐδαίμων ἀνὴρ καὶ δεξιός. nescio an comicus respexerit illud verbum, quo tragicus maxime delectatus erat.

Orestes homines etiam sapientes saepius se vidisse dicit mortuos perhibitos, dein domum reversos ibique honorificentissime exceptos. quae autem ut versus delerent argumenta excogitaverant Morstadt (progr. 1864 p. 8) et Wecklein (Art. Soph. emend. 170), Vahlen (ind. lect. Berol. 1883 = opusc. 1_{210}) et Ev. Bruhn (Ann. Fleckeis. suppl. 15 1887_{308} ss.) plane refutaverunt et quaesiverunt, 'quid lucis his tenebris affundi putaretur ea opinione, qua haec non a Soph. scripta, sed ex retractatione aliqua orta esse statueretur'. etiam de v. 61, qui primus viris doctis ob turpitudinem falso suspectam ansam praebuit interpellandi, non est cur dubitemus[1]); potissimum argumentum in eo est, quod iam Cephisodoro Isocrateo versus notus fuit genuinus (apud Athen. 3_{122} c). et versus in dubium vocati clarissimi sunt sententiis poeticis, velut vocabulo *εἶδον*, quod sibi vult 'an sich vorbeirauschen sehen', quomodo *ὁρᾶν* significat non oculorum, sed animi obtutum etiam Sept. c. Th. 100, El. 853.[2])

Atqui Bruhn quoque horum versuum patronus addit: 'illud — concedo non nihil languere hos versus idque ideo, quia absque ulla necessitate sententiae planissimae hoc quasi argumentum aduectitur', confitetur autem 'illinc ita tantum cum aliqua probabilitate insiticios hos vv. esse posse concludi, si cur tale quid sibi permiserit Sophocles, non inveniretur'; at Soph. consulto ac suo iure hanc sententiam composuit, sane ad Hdtum amicissimum suum laudibus efferendum. quod ut probemus, primum fabulas, quae condicionibus ab Oreste enuntiatis conveniunt, colligamus; ut quae narratio (cum res profecto evenerit) potissimum a Sophocle significetur, aliqua cum probabilitate indagemus.[3])

1) cf. Wilamowitz, Herm. 18 1883 p. 241 adn. et Kaibel in comm. ad h.v.; partem moralem exponit Fr. Haussleiter, über Fragen der Sittlichkeit bei Soph. u. Eurip. 1908 p. 25. ceteroquin ad hunc versum (*δοκῶ μὲν οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν*) mirum quantum conveniunt Darei verba (Hdt. III 72): *ἔνθα γάρ τι δεῖ ψεῦδος λέγεσθαι, λεγέσθω. — οἱ μέν γε ψεύδονται τότε ἐπεάν τι μέλλωσι τοῖσι ψεύδεσι πείσαντες κερδήσεσθαι.* Persae vero veritatis sunt studiosissimi. — unde differunt Philoct. 309 et fgm. 826.

2) Wernsdorf exhibet ad Himerii (edit. 1790) Ecl. 10_{12}: 'mirabili dicit Noster translatione *ἔναυλον θέαν*, ut in orat. 13_{8} *λόγους ἰδεῖν* et ut apud poetas dicitur *φωνὴν ὀφθῆναι, τυφλὸς τὰ ὦτα*, qualia collegit Gatakerus, de stilo NT c. 38 p. 146'.

3) qua in re nos non tangit, si qui heros aut roboris aut religionis ad inferos degressus, artes reconditas cum inde latas enuntiaverit, summis honoribus afficitur. quorum descensuum (*κατάπλοι*) exempla collegerunt Ettig ('Acheruntica' 1891) et Dieterich (Nekyia p. 128 ss.). neque in censum veniunt homines numine divino in terras remotiores ablati. sed in eo res est posita, ut Orestes quaerat exempla, quibus iam mortales, quamquam mortui sint existimati, nullum damnum acceperint.

Ac primum si scholion (ad El. v. 62) inspicimus, ducimur in Pythagoram aut Ulixem, quorum alter affertur tantum, non probatur.[1]) et quamquam iam intellegimus totam huius fabulae rationem, quo pertinere videtur vox *σοφούς*, propriam esse Pythagoraeorum, quorum animi talia adamaverint[2]); tamen Sophoclis temporibus nondum cognitus videtur fuisse Pythagoras, qui evanuerit, tum rursus apparuerit: id quod Ev. Bruhn (l. l. p. 310) recte conclusit e simillima narratione, quam de Salmoxi Thracio refert Herodotus; is enim de Salmoxi, quem mortuum se perhibuisse, honorifice postmodo exceptum memoriae prodit, dicit (IV_{95}) *δουλεῦσαι ἐν Σάμῳ — Πυθαγόρῃ τῷ Μνησάρχου — ὁμιλήσαντα Ἑλλήνων οὐ τῷ ἀσθενεστάτῳ σοφιστῇ Πυθαγόρῃ.* ergo Hdtus de ipso Pythagora magistro tale quid si exploravisset, sine ulla dubitatione hic inseruisset.[3]) quo argumento quam gravissimo (etsi ducitur ex silentio) efficitur ne Sophoclem quidem illam Pythagorae fabulam cognitam habuisse. ergo scholiastae commentum inane est. contra Eustathius cum illius facti mentionem faceret (p. 1259), Zalmoxim nominavit.[4]) ita ex discipulo in magistrum, e Salmoxi in Pythagoram fabellam translatam esse cognoscimus: quod commentum sane tribuendum est Hermippo.[5])

Atqui de alio quoque Pythagorae discipulo tale quid factum exhibetur apud eundem Hdtum: dico Aristeae famam (4_{14}). hoc quidem alterum exemplum repellit Kaibel, cum dicit (comment. ad v. 62 p. 79): 'Aristeas passt deshalb nicht, weil er sich nicht für tot ausgab'. cui sententiae accedere non possum; condiciones enim dicti hae sunt:

1) '*ἔνιοι δὲ οἴονται ἀπιθάνως εἰς Ὀδυσσέα ἀποτείνεσθαι*'. Hartung quidem (edit. El. 1850 ad v. 62) constituit significari Ulixem 'welcher von den Freiern für tot gehalten, eben durch diesen Glauben derselben in den Stand gesetzt wurde sie zu vernichten u. desto größeren Ruhm u. Ehre zu gewinnen', quam sententiam refellit Bruhn p. 309.

2) quam coniunctionem cum Orphicorum Pythagoraeorumque fabulis ac litteris exstantem praedicat nisus voce *πολλοὺς καὶ σοφούς* etiam Dieterich, Nekyia p. 128.

3) cf. nunc P. Corssen, der Abaris des Heraclides Ponticus, ein Beitrag zur Geschichte d. Pythagoraslegende, Rh. M. 67 (1912) p. 44.

4) haec pro *Ζάλευχος* tradito emendatio est certissima.

5) ut profitetur E. Rohde [Mus. Rhen. 26 (1871) p. 577]: 'die dazugesetzte [scil. ad scriptum Pythagorae ab Hermippo commemoratum, apud Diog. Laert. 8_{41}] boshafte Geschichte ist eine von Hermipp ersonnene Parodie der von Hdt 4_{95} u. Ps-Hellanicus (FHG I p. 69) erzählten List des Zalmoxis'. etiam scholiastam (ad El. 63), cum Pythagoram commemoraret, pependisse ex Hermippi parodia elucet e verborum consensu apud Diog. Laert. 8_{41}; et arto vinculo cum ista Pythagorei descensus ludificatione iuncta est Hdti de Salmoxi historiola (cf. Ettig, Acher. p. 288_3 et P. Corssen l. l. p. 42 s.).

Orestes ut fraudem initurus terretur, ne quid infausti nascatur ex eo, quod ipse suae mortis testis et index adventurus sit, ita sui tuendi causa exempla in memoriam revocat eorum quibus cum mortui dicti essent[1]), res non ad calamitatem, sed prospere et honorifice evenerit.[2]) atque respondet Orestes: multos iam perhibitos esse mortuos; non: multos se ipsos dixisse mortuos.[3])

Ubi denuo perducimur in sectam Pythagoraeam: Metapontum enim, cuius in Hdti narratione (IV_{15}) mentio fit, gravissima (secundum Crotonem) apud Pythagoraeos auctoritate erat. — atqui temporum quoque ratio accuratius est contemplanda: ille enim locus ad finem est exornatus, postquam Hdtus in Italiam transgressus est, quod testes appellantur Metapontini.[4]) neque vero hac ratione Electram tragoediam multo recentiore demum aetate compositam esse efficitur.[5])

Iam supra Helenam Euripidis tragoediam hunc in contextum quadrare

1) sane non ab ipsis sed ab aliis; *μάτην* enim cohaeret non cum *λόγῳ*, potius cum *θνήσκοντας*.

2) haec enim summa est superstitionis, ut qua in re numina offensura sint, cognoscamus, rem cognitam profiteamur. nimirum ubicumque discrimina a caelestibus imminentia inquirimus, invenimus etiam subsidia. ita Orestis interest quaerere, quid sid timendum, si quis existimetur vita decessisse; quam condicionem illius aevi superstitio credebat ominosam, ut nos quoque utimur termino vernaculo: 'den Teufel an die Wald malen' et 'etwas berufen'.

3) ideo probare non possum, quod Wilamowitz (Herm. 18 p. 241) sic versus reddidit: 'auch weise Leute haben sich totgesagt'. aliter rem enuntiat Menelaus (in Hel. Eurip. vv. 1050 ss.), cum dicit saepius consilium semet ipsum mortuum nuntiandi adhibitum esse, quam ut inde salutem speraret. unde intellegimus apud Euripidem rem aliter se habere atque apud Sophoclem: is enim poeta hac Helenae tragoedia (a. 412 docta) aperte respicit in Orestis fabulam (magnum temporis spatium inde ab Sophoclea Electra inter annos fere 435 et 430 acta praeteritum non obstat, quoniam Eurip. ipse sua Electra anno ante composita illius fabulam denuo ad lucem produxerat), cum Sophocles argumentum capessat amplius, quo complectitur famam etiam Aristeae.

4) quibus addit: *τοῖσι ἐν Ἰταλίῃ*. an ex hac voce concludi potest scripta esse non ad Graecos Italiae, sed potius Atticos? quamquam eiusdem libri c. 99 cum Attica adhibita sit in comparationem, etiam Iapygia confertur: supplendo novum argumentum illatum est.

5) nam hoc quoque modo res evenire potuerunt: licet iam ante migrationem in Italiam factam Hdtus amico suo famam simplicem narraverit; tum vero, cum Soph. Electra trag. illud argumentum memorasset, historicus maiore iam studio tales fabulas investigavit et quod apud Metapontinos didicit novum, prioribus inseruit descriptionibus. quamquam hoc artificium iudico supervacaneum, quoniam, cum Electra in scaenam prodiit, Hdtus sine dubio iam satis multum per tempus in Italia versatus erat inde ab anno fere 443, ut Metapontina quoque fama Atticis palam fieret.

exposuimus: namque Helena consilium, quo circumducatur Theoclymenus, callidissime excogitatum profert; Menelaum enim Menelai se socium dicere mortemque domini nuntiare vult.[1]) ubi magnum interesse videtur, quod Soph. cum mortem ficticiam usurparet, secutus est antecessores: Aeschylum atque sine dubio Stesichorum; contra Eurip. istam scaenam cum fingeret, aliunde in hanc fabulam transtulit: itaque adiecit vocem *παλαιότης* (tamquam ut imitationem excusaret dissimularetque), quam qui interpretabantur 'simplicitatem', eorum commentum recte abiecit iam G. Hermann; poeta enim aperte se non ipsum illud argumentum invenisse confitetur, respicit Electram Sophocleam.[2])

Hac in compositione afferendi sunt etiam Epimenides et Aesopus: Epimenides (apud Diog. Laert. 1_{109}) iam a Bruhnio improbatur (p. 310). de Aesopo autem redivivo, quo tempore fabula sit orta, non facile discernimus. Hausrath quidem[3]) exhibet: 'einem späteren Stadium der Legende gehören wohl erst die Berichte von der Erstehung Aesops vom Tod u. von seinen Taten in einem zweiten Leben an'; tamen quoniam iam Plato comicus huius fabulae mentionem fecit (Kock 1_{619}), res nos tangit, praesertim cum ipse Hdtus (2_{134}) fata narraverit Aesopi Samii, qui rationes habuerat (quamvis inimicas) cum sacerdotibus Delphicis. atqui illa fabula haud prorsus quadrat in Electrae versus, quibus exhibentur ii, qui feruntur tantum mortui[4]): contra Aesopus revera ex vita excesserat multum per tempus.[5])

Atque omnino facio cum Bruhnio, qui neget (p. 309) 'circa a. 412 (*sive antea*) tale aliquid accidisse in Graecia homini tam gravi, ut mentionem eius rei in tragoediis suis faciendam putarent et Soph. et Eurip., quamvis taceant et Thucydides et comoedia'.[6])

1) quos versus (1049—56) genuinos esse optime disseruit Ev. Bruhn (p. 306 ss.). etsi a Bruhnio dissentio in eo, quod is contendit (p. 308) 'irrideri ab Euripide Sophoclem tempora permiscentem heroumque aetati attribuentem, quae illa aetate facta non sint'. poeta enim mordax apertius irrisisset, si voluisset, neque idem protulisset; potius ipse quoque illud argumentum scaenae aptissimum adamavit et adhibuit, quo melius perficeretur propositum.

2) quamquam in alia quoque tragoedia, Aeschyli Philoctete, eadem res occurrit: Ulixes enim (secundum Dionis Chrysostomi relationem, or. 52) ut herois exacerbati iram placet, se ipsum turpissime interiisse fingit. quid si eius scaenae memoriam repetivit scholiastae (ad El. 62) auctor?

3) apud Pauly-Wiss. s. v. Fabel (1909) p. 1708.

4) *μάτην* enim sibi vult: 'etsi verum non erat' cf. Kaibel ad El. p. 79.

5) idemque valet etiam in Aridaei historiola (Plut. de sera num. vind. 22 p. 563 D ss.).

6) calamitatem illa narratione confictam spectare ad aliquos Athenienses, qui cum in exilio incerta morte perisse putarentur, praeter opinionem rever-

Itaque ordinem possumus concludere in **Salmoxi** et **Aristea**, quae fabulae sane sunt aptissimae. neque sine aliqua causa Sophocles verba intulit: immo quasi nota et vulgata affert; unde noverit, iam scimus; atque poetam non potuisse significare quem peteret ipso nomine adiecto, per se intellegitur, ut profitetur iam scholiasta.

Etiam quam ob causam scaenicam tragicus illos versus indiderit, perspicuum est: ut superstitioni, quae optime intellegitur ex Helenae Eurip. v. 1051 s. et e Soph. El. 1210—3, satisfieret.

D. DE TRIPLICI EXSECRATIONE.

Huic inquisitioni asseri potest ex Oedipodis regis tragoedia exsecratio illa, qua obligati Thebani tabescunt. ea enim devotio repetenda esse videtur ex eadem Cambysis historia Hdtea atque vox *Μάγος* (Oed. R. 387), de qua infra disputabimus. et summum quidem in totam tragoediae structuram valet morbus triplex, in quem Thebanorum civitas incidit, ut impelleretur ad interfectorem regis prioris investigandum (Oed. Reg. 25—27):

φθίνουσα μὲν κάλυξιν ἐγκάρποις χθονός,
φθίνουσα δ' ἀγέλαις βουνόμοις τόκοισί τε
ἀγόνοις γυναικῶν (cf. v. 171—173), atque quem Oedipus rex minitatur eis, qui edicto suo non sint oboedituri (v. 269—71):

καὶ ταῦτα τοῖς μὴ δρῶσιν εὔχομαι θεοὺς
μήτ' ἄροτον αὐτοῖς γῆς ἀνιέναι τινά,
μήτ' οὖν γυναικῶν παῖδας.[1])

tissent. existimat etiam Kolster (Soph. Stud. 5_{140} s): quam ad rationem **vox σοφοί prorsus esset inutilis.**

1) namque perspicuum est utrumque huius dramatis locum cohaerere, quoniam civitas cur a deo opprimatur, est quod culpa est obstricta; utrumque vero locum ex uno fundamento progerminasse, profitetur Oedipus ipse cum addit (v. 271—72): *ἀλλὰ τῷ πότμῳ τῷ νῦν φθερεῖσθαι κἄτι τοῦδ' ἐχθίονι.* id quoque facile intellegitur: ut culpae respondeat poena, noxio id devovetur, quod insons perpessus est (cf. Gruppe, mythol. gr. 767_1). intellegunt homines a deo aliquo immissam esse calamitatem, eamque ab Apolline, qui *πυρφόρος θεός* appellatur v. 27 (cf. Welcker, opusc. III_{33-45} 'Seuchen von Apollon' et Bruchmann, de Apolline et Minerva deis medicis 1885): significatur caedes, cui debetur poena. quam ob causam Creon adit oraculum Delphicum, unde expetat subsidium. neque multum interest ad auctoritatem, exsecratio utrum iniecta sit ut pararetur remedium, an enuntietur noxiis. quae res pendet ex devotionis natura: etenim primo exsecrabatur is, qui profecto in noxa tenebatur, ab eo cui aliud poenae instrumentum praesto non erat; tum devotionis auctoritas invocabatur, ut prohiberetur aliquod facinus imminens et ut deterrerentur malefici. quamquam hac in tragoedia ratio videtur inversa: nam cum illius exsecrationis formula poetae in animum venisset, exornavit condicionem Thebanorum miserrimam.

Sed si ad ipsam devotionem aggredimur, eam valde dissentire constituimus a pervulgata, qua malefici ipsi et eorum gens petuntur his verbis: *ἐξώλη εἶναι καὶ αὐτὸν καὶ τὸ γένος αὐτοῦ*, cuius exempla sunt innumerabilia; haec erat usitata etiam apud Athenienses detestationis formula.[1]) interdum asseritur: *καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ δημόσια ἔστω.*[2]) atqui longe absunt verba Oed. Regis: hic enim delentur partes insontes, fructus et agrorum et armentorum et mulierum, contra noxii ipsi non tanguntur.[3]) sed ut huius detestationis vim atque auctoritatem recte aestimemus, alia exempla conquiramus necesse est.[4]) et puerperia quidem solito more ad infortunium trahuntur a numine divino atque Eumenidibus, ut propinquissimorum scelus vindicetur.[5]) latius extenta omina et bona et mala Hesiodus enuntiat (*Ἐ. κ. ἡ.* 232 s.) in iudices iustos praemia, damna superbos; illis per superorum benignitatem omnia crescent augebunturque:

τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον —
εἰροπόκοι δ' ὄϊες μαλλοῖς καταβεβρίθασιν·
τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν
— *καρπὸν δὲ φέρει ζείδωρος ἄρουρα*; contra scelestis proponit:

λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν· ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί.
οὐδὲ γυναῖκες τίκτουσιν· μινύθουσι δὲ οἶκοι. quomodo etsi prosperitas trium partium: et agrorum et gregum et hominum indicatur, tamen aliquantum abest ab ista devotionis formula.[6])

Sed transeamus ad ipsum Hdtum, ubi aequas diversis locis condiciones invenimus. primum consideramus VI 139, quo inducimur in fabulas de Pelasgis traditas: Pelasgi enim ex Attica in Lemnum insulam depulsi ut ulciscerentur, Atheniensium mulieres rapuerunt; raptarum geniti cum in eo esset, ut periculum inferrent, una cum

1) E. Ziebarth, 'der Fluch im griech. Recht', Herm. 30 (1895) p. 61.

2) velut Andoc. de myster. § 96.

3) ergo ea detestatio apparet crudelior atque acrior, quae tamen potius quam formula trita delegat ad scelus expiandum: quod pertinet ad cultum Apollinis.

4) neque vero nobis in animo est afferre omnia exempla quibus aut salubritatis domesticae ruina pestifera aut una illius devotionis pars exhibeatur. velut mulierum abortus ubicumque quibuslibet finibus impositi sint, enumerare et longum est et nullius fere in hanc inquisitionem auctoritatis, quoniam coniunctae tres illae partes faciunt discrimen.

5) ex. gr. affero Phoenicis fabulam (Il. I 455) liberis carentis (cf. Apd. Biblioth. III 35 W.; Diog. Laert. 8_{70}).

6) atqui haud parvi pretii nobis est is poeta Boeotius et cultui Apollinis deditus: vel in ipsam linguam Hesiodeam valuisse auctoritatem Amphictyonum Delphicorum existimarunt.

matribus trucidantur[1]); quod ob crimen nefarium insula summam subit calamitatem: *οὔτε γῆ καρπὸν ἔφερε οὔτε γυναῖκές τε καὶ ποῖμναι ὁμοίως ἔτικτον καὶ πρὸ τοῦ. πιεζόμενοι δὲ λιμῷ καὶ ἀπαιδίῃ ἐς Δελφοὺς ἔπεμπον λύσιν τινὰ αἰτησόμενοι τῶν παρεόντων κακῶν.* nostra magni refert, quod propinquissimorum caedes tanta exsecratione imposita sic sanatur, ut oraculum Delphicum consulatur. inde enim pestilentiam obvenisse, devotionem immissam esse intellegitur a noxiis, unde petuntur subsidium absolutioque. qua exsecratione et expiatione cur Pelasgi e Lemno insula expulsi sint, declaratur. quo magis videtur mirandum, quod alio quoque loco eadem exsecratione Pelasgi ut e suis finibus migrarent, finguntur impulsi: dico famam apud Dionysium Halic. (Antiqu. I 23) exstantem de Pelasgis Italicis, qui calamitate oppressi sint gravissima: *οὔτ' ἐπὶ τοῖς δένδρεσι καρπὸς οὐδεὶς ὡραῖος γενέσθαι διέμεινεν ---, ἀδελφὰ δὲ τούτοις ἐγίνετο περί τε προβάτων καὶ γυναικῶν γονάς,* quae prodigia largius exponuntur. atqui fabulam ab Hdto narratam habendam esse pro exemplo perspicuum est. nam auctorem quidem Dionysius profert Myrsilum Lesbium (qui circa annum a. Chr. n. 250 florebat); unde elucet non iam Hellanicum eam fabulam exhibuisse[2]); neque potuit exhibere, quod Myrsilus primus contra Hellanici sententiam[3]) Tyrrhenos fecit ex Italia migrantes in Graeciam, ubi Pelargorum nomen acciperent.[4]) aequus igitur erat calamitatis effectus: Pelasgi priores suos fines amittunt; et cur detestatione implicati essent, cum exponere deberet scriptor: ut Lemni incolae noxii sunt ob suorum filiorum caedem, ita Tyrrheni debent Iovi et Apollini et Cabiris[5]) primitias etiam liberorum: quomodo instituitur illud ver sacrum. itaque Myrsilus scriptor Lemniorum affinis sumpsit id argumentum ad novam suam coniecturam fulciendam.[6])

1) quae narratio sine dubio hausta est ex Hecataei libris: cf. Ed. Meyeri inquisitt. ad vet. hist. pertt. vol. I p. 8, 18.

2) quoniam Dionysius qua est in nominibus citandis diligentia, certe non eum omisisset.

3) Dion. Hal. I 28: *τὰ ἔμπαλιν ἀποφαινόμενος Ἑλλανίκῳ.*

4) de ratione inter Tyrsenos et Pelasgos constituenda delego ad E. Meyer (l. l. et antiq. hist. I 2 ² 1909 p. 685) et Müller-Deecke (Etrusker I 71 ss.). hoc unum commemoro: Sophoclem, si exhibuit (in Inacho dramate fr. 248, 4, cf. Dion. Hal. I 25): *καὶ Τυρσηνοῖσι Πελασγοῖς*, non prorsus dissentire potuisse ab Hdti sententia.

5) qui in Lemnum insulam delegant ut sedem celeberrimam.

6) nec mirum est, quod devotio simplex exornata est magnificentissime: id debetur aetati posteriori et rhetorice infectae. robur enim significationis par est, nempe terrae universae vis vitalis pessumdatur. atque *ὁ θεός* qui invocatur patronus, etsi non diserte nominatur, certe est Apollo, cui

Denique ex Hdti libro 9 huc spectat c. 93: Apolloniatae enim cum Euenio, qui sacras Solis pecudes parum diligenter servavisset, oculos effodissent, hoc modo poenas reddunt: *αὐτίκα οὔτε πρόβατά σφι ἔτικτε οὔτε γῆ ἔφερε ὁμοίως καρπόν*[1]); pergitur: *πρόφαντα δέ σφι ἔν τε Δωδώνῃ καὶ ἐν Δελφοῖσι ἐγίνετο*; Dodona quidem, Pelasgica sedes (Hdt. II 52), Apolloniatis (sinus Ionici accolis. c. 92) est proxima, tamen Apollo (urbis nomine significatus) vere eorum est patronus.[2])

Quibus exemplis Hdteis hoc efficitur: Pelasgi et Apollo Pythius sunt cardines, in quibus exsecratio ista versatur. nova subsidia praesto sunt in inscriptionibus, quae testes sunt incorruptae; nam a republica constitutae, ut per saecula nobis servatae sunt, ita ipsae legum formulas susceperant vetustate sanctas. quam ob rem praecipue in sanctionibus obviam nobis fiunt priorum temporum residua.

Ac primum propono Hierapytniorum iusiurandum[3]): *αἰ δέ τι ἐπιορκήσαιμι τῶν ὤμοσα ἢ τῶν συνεθέμαν, τός τε θεός, τὸς ὤμοσα, ἐμμανίας ἦμεν, καὶ ἐξόλλυσθαι κακίστῳ ὀλέθρῳ, καὶ μήτε γᾶν μήτε δένδρεα καρπὸς φέρεν, μήτε γυναῖκας τίκτεν κατὰ φύσιν, τῷ τε πολέμῳ μή με σῶον νέεσθαι· εὐορκῶσι δὲ ἀμῖν τός τε θεὸς ἵλεος ἦμεν, καὶ γίνεσθαι πάντα ἀγαθά.* ibi praeter *Ἀθαναίαν Πολιάδα* sive *Πολιοῦχον* deus princeps est *Ἀπόλλων δεκαταφόρος* (cf. Gruppe 1098_{1h}). et hic titulus inter alia numina exhibet ordine continenti (l. 13 s.) *καὶ Ἀπόλλωνα Πύθιον καὶ Λατὼ καὶ Ἄρτεμιν.* quae vero societas artissima interfuerit inter Cretam insulam et oraculum Delphicum, constat inter omnes. quo magis mirum est, quod etiam in aliis urbibus Cretensibus haec formula adhibebatur: in foedere inter Drerum et Cnossum paulo ante annum 220 icto verba exstant[4]): *εἰ δὲ τάδε μὴ κατέχοιμι, τούς (τ)έ μοι θεοὺς, τοὺς ὤμοσα, ἐμμανίας*

debentur praecipue primitiae et hoc et aliis locis (cf. Gruppe, mythol. graec. 1228_2, 1233_6). *ἐλαστρηθέντες* (c. 23) glossa Ionica an quid valeat, nescio.

1) quod duae modo exsecrationis partes exstant, id respondet culpae non ex caede, sed occaecatione contractae.

2) huc pertinent Solis pecora (cf. Gruppe p. 1243), lupi (*λύκοι*) immissi, vaticinium Euenio delatum; et Plutarchus (Pyth. or. 16) exhibet: *ἐγὼ δὲ καὶ Μυριναίους ἐπαινῶ καὶ Ἀπολλωνιάτας θέρη χρυσᾶ δεῦρο* (scil. Delphos) *πέμψαντας.*

3) CIG 2555_{22-26} = Collitz-Bechtel, griech. Dialektinschr. no. 5039, e saec. a. Chr. n. altero.

4) cf. Bulletin de corresp. hell. 27 1903 p. 134 = Dittenberger, Sylloge[2] 463_{75} ss.; Collitz-Bechtel 4952, cui inscriptioni Blass editor addidit: 'die Inschr. stellt sich deutlich als Abschrift eines alten, *βουστροφηδόν* geschriebenen Originals dar'.

ἥμην πάντας τε καὶ πάσας, καὶ κακίστῳ ὀλέθρῳ ἐξόλλυσθαι αὐτός τε καὶ χρήϊα τἀμά, καὶ μήτε μοι γᾶν καρπὸν φέρειν [μήτε μοι γ]υναῖκας [τίκτει]ν κατὰ φύ[σιν μήτ]ε πάματα· [εὐορκί]οντι δέ μοι . . .[1]); atque cives Itani iuraverunt (Dittenberger, Syll.[2] 462_{44} ss.): *τοῖς δὲ ἐπιορκέσσι μήτε γᾶν φέρειν μήτε τέκνων ὄνασιν γίνεσθαι μήτε πρόβατα εὐθηνεῖν, ἐξόλλυσθαι δὲ κακῶς κακοὺς καὶ γενεὰν αὐτῶν.* huic exsecrationi praecedit eadem benedictionis formula.[2]) his dialecti Doricae vicariis Creticis addo inscriptionem prope Chersonesum Tauricam repertam, coloniam arte cum Delphis coniunctam[3]) (Dittenb. 461_{55} ss., circa a. 300): *καὶ μήτε γᾶ μοι μήτε θάλασσα καρπὸν φέροι μήτε γυνα[ῖκες εὖ τεκ]νοῖεν μήτε — —.* Collin autem (Bull. hell. l. l.) addit: 'nulle part — nous ne retrouvons les formules exactes de notre inscription', cum disserit de titulo anno p. Chr. n. 115 Delphis composito, ubi Amphictyones hoc iurant (B 14): *[καὶ εὐορκοῦντι μέν μοι εἴη πολλὰ καὶ ἀγαθὰ] ἐφιορκοῦντι δὲ [Θέμις] καὶ Ἀπόλλων Πύθιος καὶ Λατὼ καὶ Ἄρτεμ[ις καὶ] πῦρ ἀθάνατον καὶ θεοὶ πά[ντες καὶ πᾶσαι κακίστω ὀλέθρωι τὴν] σωτηρίαν μοι [ἀφέλωσι]ν, μήτε τέκνων μήτε σπορῶν μήτε καρπ[ῶν] μήτε οὐσίας κατόνασθαι ἐάσωσ(ιν) ἐμέ[τε αὐτὸν καὶ τὸ γένος ἐμὸν καί με] ἐκ τῶν ὑπαρ[χόντω]ν ἰδίων ζῶντα ἐκβάλωσι εἰ ἐφιορκήσω.*

Sic ad ipsum sacramenti fontem pervenimus. quis enim est, quin hic memoriam revocet illius *ἀρᾶς ἰσχυρᾶς* Amphictyonum Delphicorum, quam profert Aeschines (contra Ctesiph. § 110 s.): *γέγραπται γὰρ οὕτως ἐν τῇ ἀρᾷ 'εἴ τις τάδε' φησὶ 'παραβαίνοι ἢ πόλις ἢ ἰδιώτης ἢ ἔθνος, ἐναγής' φησιν 'ἔστω τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ τῆς Ἀρτέμιδος καὶ Λητοῦς καὶ Ἀθηνᾶς Προναίας'.*[4]) *καὶ ἐπεύχεται αὐτοῖς μήτε γῆν καρποὺς φέρειν, μήτε γυναῖκας τέκνα τίκτειν γονεῦσιν ἐοικότα*[5]), *ἀλλὰ τέρατα, μηδὲ βοσκήματα κατὰ φύσιν γονὰς ποιεῖσθαι —.* hoc vero sacramentum ortum est eo tempore, quo Cirrha deo Delphico iubente deleta est (i. e. circa a. 590): ergo per septingentos annos ipsa verba iuris iurandi conservata sunt.[6])

1) *μήτε πάματα* (contra Dittenb. et Collin, Bull. hell. *πάντ' ἐπ' ἄματα*) post A. Wilhelm acceperunt Blass et Herwerden Lex. gr. supplet. II 1910.

2) in priore iureiurando commemoratur templum Apollinis Delphinii et invocantur sacrationis dei (praeter alios) coniuncti *Ἀπέλλων Ποίτιος, Λατώ, Ἄρταμις.*

3) cf. Brandis apud Pauly-W. s. Chernosesos p. 2262_{30} ss.

4) sive *Προνοίας*, vide ed. Weidneri.

5) cf. Hesiodi Ἔ. κ. ἡ. 235, Eurip. Hel. 965: *εἰς ταὐτὸν ἦλθε τοῖς τεκοῦσι τοὺς τρόπους.* Aristot. de anim. gen. δ 3 p. 767 B 6.

6) quae constantia non movet eos, qui quanta religiositate res sacrae colantur, sciunt. cuius rationis exemplum apertum affero sacrationis for-

Iam pauca dicimus de tribus deis appellatis, quos invenimus illi sacramento (et simplici et exornato) adiunctos[1]: invocantur Apollo Pythius, Latona, Diana, quae tria numina coniuncta adhibentur praesertim in urbibus Creticis[2]), tum Delphis (cf. praeter decreta Pausan. X 19_4).[3]) quid si partus felices commendantur pecorum Apollini, mulierum Latonae, agrorum Dianae?[4])

Hoc quoque commodum debetur inscriptionibus, quod suis locis convenientes reperiuntur formulae, cum per litteras conscriptas transferantur etiam in partes peregrinas. ita cum Apolline Delphico[5]) cohaerere illam devotionem cognovimus, et cum Pelasgorum nomine.[6])

Similí autem modo etiam exsecratio Sophoclea, unde progressi sumus, intellegenda esse videtur. namque cum Thebis res agatur, medium locum tenet Apollo Delphicus: is cunctam molitur actionem, quem

mulam, quae aliquantum convenit cum illa devotione tamquam debilitata pro rerum vilitate, et quae exstat praeter alia testimonia in inscriptionibus Hierapytniorum (v. Lebas, Rev. de philol. I 1845_{264} ss.): velut in foedere cum Rhodiis icto l. 19 s.: *εὐορκεῦντι μὲν εὖ εἶμεν, ἐπιορκοῦντι δὲ τὰ ἐναντία* vocabulis rite positis; contra in societate Lyttiorum (utraque inscriptio tribuitur quarto a. Chr. saec. ineunti) invenimus l. 17 s.: *ἐπιορκόντι μὲν ἦμεν τὸς θεὸς ἐμμανίας καὶ γίνεσθαι π ά ν τ α ὑ π ε ν ά ν τ ι α* (sive l. 24: *πάντα ταῦτα ἐναντία*), *εὐορκῶσι δὲ τὸς θεὸς ἱλέος ἦμεν καὶ γίνεσθαι πολλὰ κἀγαθά*: ergo membris permutatis eadem vocabula retinentur.

1) qua in re multum valet lex Amphictyonum anno a. Chr. 380 composita = CIA II 545_7 ss.

2) vide Pauly-Wiss. s. v. Eid (Ziebarth 1905) p. 2078_{67}.

3) praeterea: Usener, Dreiheit, Rh. M. 58 1903 p. 20_{13}, 24_1; Pauly-W. s. v. Apollon p. 33—35, Artemis 1361—62; Roscher, myth. Lex. s. v. Leto p. 1966—7, 76—8.

4) cf. Pauly-Wiss. s. Artemis 1342_{27}, 43_{29}; A. Dieterich, Mutter Erde 1905 p. 39 ss., 54 s. agrorum modo et mulierum puerperia inter se comparat.

5) cf. apud Eurip. Ion. 303 quaestionem Pythiae: *κάρπου δ' ὕπερ γῆς ἥκετ', ἢ παίδων πέρι;*

6) *τὰν Πελασγίαν πόλιν* venerantes (Aeschyl. Suppl. 642 Weckl.) puellae supplices precantur (v. 682 ss.): *τίκτεσθαι δὲ φόρους γᾶς ἄλλους εὐχόμεθ' ἀεί, Ἄρτεμιν δ' ἑκάταν γυναικῶν λόχους ἐφορεύειν·* (v. 694 ss.): *εὐμενὴς δ' ὁ Λύκειος ἔστω πάσᾳ νεολαίᾳ. καρποτελῆ δέ τοι Ζεὺς ἐπικραινέτω φέρματι γᾶν πανάρῳ. πρόνομα δὲ βοτὰ τοῖς πολύγονα τελέθοι.* cuius precationis triplicis qui auctor fuerit Aeschylo, inquirere omitto. — illud vero inter Dorienses Pelasgosque vinculum alibi quoque invenimus, velut Hdtus dicit I 57: *Πελασγοὶ οἱ ὅμουροί κοτε ἦσαν τοῖσι νῦν Δωριεῦσι καλεομένοισι.* et ipse Homerus Cretae incolas affert Od. τ 177: *Δωριέες τε τριχάικες δῖοί τε Πελασγοί.*

Thebani, ut calamitatem solvat, implorant; is omnia mala perficit (Oed. R. 1329 s., cf. v. 149—50).[1])

Quam ob causam persuadere mihi non possum tragicum illam devotionem cognitam habuisse solis ex Hdti historiis: potius et ipse, qua erat erga oracula pietate[2]), Delphorum auctoritate inductus est. accedit, quod ille locus Hdteus, quod invocatur exemplar (III 65), me quidem iudice aliter est intellegendus. namque eas de Cambysis exitu fabulas ortas esse ex Aegyptiorum Graecorumque commentis constat inter viros doctos.[3]) atqui Duncker (l. l.) solam orationem Cambysis morituri ducit e ficto Iranorum carmine epico, cum contendat aequos huius detestationis sensus figurasque paene eisdem verbis exstare in

1) et profecto etiam ea re artum cum condicionibus Delphicis vinculum probatur, quod [quamquam tres calamitatis defensores ei sunt Minerva, Diana Phoebusque Apollo (v. 159 ss.) vel Apollo Lyceus, Diana, Liber (v. 204 ss.)] exsecrati (v. 233 ss. enim iungendi sunt cum v. 263 ss.) excluduntur ab iustis sacrificiis (v. 239 s.), velut in Amphictyonum sacramento (Aeschin. Ctesiph. 111): *καὶ μήποτε ὁσίως θύσαιεν — μηδὲ δέξαιντο αὐτοῖς τὰ ἱερά* (quod planius exponitur § 120); atque etiam *οἱ ἐπιτρέψαντες καὶ παρέντες ἀτιμωρήτους τοὺς ἐναγεῖς* culpa constringuntur et exsecratione petuntur (§ 121). inde (neque ex Hdto III 52, quod vult Nieberding p. 13) profectus est Soph. v. 238: *μήτ' εἰσδέχεσθαι μήτε προσφωνεῖν τινα.* — sed dies diem docet. sic inter comici cuiusdam fragmenta, quae Lefebvre adiecit imagini fragm. Menandri phototypae et quae I. van Leeuwen I. f. (Mnemos. 40 1912 p. 129 ss.) attribuit Eupolis Demis (comoediae actae a. 412, ut probat Körte, Herm. 47 p. 296), hi versus inveniuntur (frg. II 11 s.) ante Aristidis et Solonis diverbia: *ὅστις οὖν ἄρχειν τοιούτους ἄνδρας [ἡγεῖται καλόν], μήτε πρόβατ' αὐτῷ τεκνοῖτο μήτε γῆ κ[αρποὺς φέροι].* quae quidem verba speciem prae se ferunt formulae plebiscitis usitatae. atqui nihil huiusmodi inter Atheniensium decreta (servata innumera) obviam nobis fit, ut credere prorsus non possim talem detestationem Atheniensibus fuisse solitam: nec Buzygis devotio omnibus notissima et tritissima nec Solonis legum sanctio (cf. Ziebarth, Herm. 30 p. 61) tale quid praebet; quare facere non possumus, quin Eupolim formulam illam extrinsecus petisse contendamus. dixerit quispiam comicum ante oculos habuisse Oedipum Regem, quae tragoedia Soph. plus quindecim annis ante in scaenam esset edita. neque vero id probabile est, quoniam Eupolis in proprium consecrationis usum vocat formulam. contra Amphictyonum iuramentum cognitum, vel lapidi insculptum fuisse Athenis scimus. unde comicum, quo maior fieret effectus, verba sumpsisse coniecerim. utique iam magis constat ne Sophocli quidem unum Hdtum praesto fuisse huius exsecrationis auctorem.

2) velut in hoc Oedipi dramate, cum in carminibus epicis et apud Aeschylum unum responsum Laio datum sit, Soph. adhibet tria Apollinis oracula (cf. Ad. Müller, aesthet. Komm. 1904 p. 77).

3) ex. gr. affero Dunckeri hist. antiqu. IV[5] (1880) p. 437; Prašekii Medorum Persarumque hist. I 1906 p. 275.

Avestae carminibus: ubi equidem nihil repperi satis probabile.[1]) atqui quin Hdtus orationes, quas ad historias illustrandas inseruit, sua sponte composuerit et ad rerum condiciones finxerit, dubitari non potest. quare optime intellegitur historicum quoque ad dictum Delphicorum refugisse, quos quanta verecundia coluerit, notum est.[2])

Sed restat testimonium Philostrati, qui exhibet in vita Apollonii (3_{20}): *ἡ γῆ οὐ ξυνεχώρει αὐτοῖς* (i. e. qui regem interfecerant) *ἵστασθαι· τήν τε γὰρ σποράν, ἣν ἐς αὐτὴν ἐποιοῦντο, πρὶν ἐς κάλυκα ἥκειν ἔφθειρε, τούς τε τῶν γυναικῶν τόκους ἀτελεῖς ἐποίει καὶ τὰς ἀγέλας πονηρῶς ἔβοσκε.* scriptor quidem ex Lemno insula ortus et qui iudicium tulit de Aeschine (vit. soph. 1_{18}), satis habebat, unde nosceret illam formulam; attamen vocabula propius accedunt ad versus Sophocleos, quam ut necessitudo possit negari inter tragicum et historicum commentorum appetentem.[3])

1) contra in sacris Iudaeorum, qui iure vocantur „das Volk der Flüche", scriptis tale quid inest; velut Mos. V 28_4 verba sunt haec: '*εὐλογημένα τὰ ἔκγονα τῆς κοιλίας σου καὶ τὰ γεννήματα τῆς γῆς σου καὶ τὰ βουκόλια τῶν βοῶν σου καὶ τὰ ποίμνια τῶν προβάτων σου* (cf. v. 11), atque invicem in detestatione verbosa v. 18 (quod accuratius definitur v. 38—42): *ἐπικατάρατα τὰ ἔκγονα τῆς κοιλίας σου καὶ τὰ γεννήματα τῆς γῆς σου, τὰ βουκόλια τῶν βοῶν σου καὶ τὰ ποίμνια τῶν προβάτων σου* (cf. III 26_{16} s., V 7_{18}).

2) sed altera ex parte, quanam causa tragicus, ut hoc ipsum in drama transtulerit interitum cunctae vitae horridum, inductus sit, si quaerimus; in mentem venit pestilentia illa, qua tum temporis Athenienses crudelissime afflicti sunt: qua cum calamitate, ni omnes res fallunt, certa quaedam ratio iure constituitur. at lues et devotio illa acriter sunt discernendae: immo mirum est, quod Soph. ambas res, quae si non proprie inter se oppositae sint [detestatio enim illa in eo, ut culpa obstrictus 'ultimus suorum moriatur' (CIL VI 29946a—b), posita est], certe non altera alteram contineant, in unum coniunxit. — quam ob causam nihilominus tragicum offendisse contenderit quispiam in illa Hdti narratione, quam ipsam eum memoria tenuisse probat eiusdem tragoediae historiaeque vox *Μάγος* (v. 387: III 61 ss.), quamvis et Soph. et Hdtus unde devotio profecta esset, haud ignorarent. hac igitur ratione altera quoque quaestio solvitur, cur formula Delphica influxerit in hanc fabulam gravissima Apollinis Delphici auctoritate praeditam. — contra prorsus refutanda est Nieberdingii coniectura, qui (p. 15) Oed. R. v. 21: *ἐπ' Ἰσμηνοῦ τε μαντείᾳ σποδῷ* scriptum esse existimat ideo, quod Hdtus compluribus locis (I 52. 92 V 59—61 VIII 134) idem oraculum eandemque vaticinandi rationem commemorarit: nimirum aliunde quoque vicinorum instituta Atheniensibus innotescebant. quam quaestionem ut absolvem, adicio, iam ex Pindari carm. id notum fuisse (Pyth. XI 6: *Ἰσμήνιον, ἀλαθὴς μαντίων θῶκος*; atque apud ipsum Sophoclem Tiresias vates Thebanus profitetur (Antig. 1005): *ἐμπύρων ἐγευόμην βωμοῖσι παμφλέκτοισιν.*

3) Sophoclis mentio fit vit. Apoll. Tyan. III 17 et VIII 7_8.

Denique etiam apud Romanos tale prodigium (in bello Tarentino) obviam nobis fit: cum gravis pestilentia mulieres pecudesque corripuit necatis in utero fetibus et immaturis partubus extorti abortus proiecti sunt[1]): unde fluxerit, nescio.[2]) — tum commemoro Usenerum[3]) tria illa mala, quae apud Graecos cesserint in proverbium, ducere e devotionis aliqua formula. — suppleverim diras quoque, quas imprecantur sepulcrorum elogia in eos, qui tumulos laeserint, velut Aphrodisiae in Caria sitae (CIG 2826): — *ἔσται ἐπάρατος καὶ ἀσεβὴς καὶ τυμβώρυχος, καὶ οὔτε ἡ γῆ αὐτῷ καρπὸν ἐνέγκῃ, οὔτε ἡ θάλασσα αὐτῷ πλωτὴ γενήσεται, σπορά τε παίδων αὐτοῦ ἐξολεῖται καὶ ἑτέρα διὰ γένους οὐ γενήσεται.* similique modo marmora ab Herode Attico alumnis dicata[4]): — *τούτῳ μήτε γῆν καρπὸν φέρειν μήτε θάλασσαν πλωτὴν εἶναι κακῶς τε ἀπολέσθαι αὐτοὺς καὶ γένος.*[5]) attamen illius exsecrationis vis gravissima his locis maximam iam partem exstincta est.[6])[7])

E. DE DEXTERA MANU DATA.

Affinem in provinciam invadimus, si quae ratio inter iusiurandum et dextram datam intersit, contemplamur. qua in re ab initio dicendum est dexteram manum ad aliquod dictum confirmandum da-

1) ut narrant Orosius, Hist. adv. pag. IV 2_2 et Augustinus, de civ. dei III 17 p. 125_{12} ss. Domb., quorum uterque rem hausit e Livii libris.

2) cf. inscript. latinam (CIL VI 29946) 'quisquis hoc sustulerit aut laeserit (sive iusserit), ultimus suorum moriatur'.

3) qui egit de trinitate in Mus. Rhen. 58 (1903) p. 357.

4) cf. A. Wilhelm, Beiträge zur griech. Inschriftenkunde 1909 p. 98 s. = IG III 1417—22, 3689—41.

5) eae formulae exornatae sunt alia detestatione celeberrima: *μὴ γῆ βατὴ μὴ θάλασσα πλωτή*, cf. Rohde, Psyche II 348; IG III 3: defixionum tabellae Atticae ed. R. Wünsch p. IX A.

6) duo membra contrahi possunt ex Empedoclis quoque Agrigentini (Acragas autem colonia erat Gelae urbis conditae a Rhodiis et Cretensibus) fragm.: FVS p. 155 = 21 A 14 l. 13: *τήν τε χώραν ἀπήλλαξεν ἀκαρπίας καὶ λοιμοῦ*, l. 16: *ἀνέμον — ταῖς γυναιξὶν ἀγονίας αἰτίου γενομένου*, cf. B 111_4: *οἵ τ' ἐπὶ γαῖαν ὀρνύμενοι πνοιαῖσι καταφθινύθουσιν ἀρούρας.*

7) Postquam meam sententiam exposui, in programmate, quod E. de Lasaulx composuit de Graecorum Romanorumque detestationibus (a. 1843) haec inveni (p. 11 adn. 42): 'der amphiktyonischen Fluchformel scheint nachgebildet, was Sophokles (Oed. R. 270 f.) den Oidipus denen anwünschen läßt, die ihm in Entdeckung des Mörders des Laios nicht beistehen, und bei Hdt der sterbende Kambyses zu den Achaimeniden spricht'. Weidner quoque (in edit. Aeschin. Ctesiph. 1872 ad § 111) profert: 'has diras ante oculos habuit Soph. Oed. R. 263 ss.'.

tam esse iam antiquissima (quoad procedere possumus) Graecorum aetate: hoc satis superque Stephani comprobavit[1]), cum testimonia uberrima colligeret et e scriptoribus et ex omnis generis monumentis. immo dextra data erat signum fidei sanctissimae.[2]) quam ob causam dextris datis apud Graecos quippe tritae usu consuetudini nihil tribuendum est proprii. ita Sophocles exhibet (Oed. Col. 1632): *δός μοι χερὸς σῆς πίστιν ἀρχαίαν* i. e. more solito. neque magis ea res usitatissima (secundum Stephani inquisitionem) movebat Romanos. ideo si Corn. Nepos affert (Datam. 10): 'ut — fidem de ea re more Persarum dextra dedisset; hanc ut accepit a rege missam —'. similique modo Polyaenus VII 28_1: *δεξιὰν αὐτοῖς ἔπεμψε νόμῳ Περσικῷ* (et Iustin. 11_{15}; Xenoph. Anab. II 4_1, Ages. 3_4), non significant manum simpliciter porrectam, sed missas manus facticias.[3])

Iam melius potest agi de duobus locis Hdti (I 153) Sophoclisque (Phil. 811 ss.). namque historicus Cyrum facit ludificantem petulantiam, qua Graeci in mercando soleant abuti iureiurando; sed regis verba ipsa cum proferantur, suspicionem movent, ne ab Hdto sint ficta.[4]) accedit, quod rerum eventus obloquitur; nam cum quam minime probabile sit regem Persarum perspexisse intimas civitatum Graecarum condiciones[5]), tum rex ipse paulo ante, qui et quot essent Lacedaemonii, interrogavit.[6]) itaque a vero propius abest, qui historicum censeat popularibus suis (*ταῦτα ἐς τοὺς πάντας Ἕλληνας ἀπέρριψε*) paravisse speculum.[7])

1) Compte-rendu 1861 p. 77 ss.

2) eodem modo iam apud Homerum manus conclusae sunt in simplici rerum futurarum affirmatione. quae vero opinio cum manus coniungantur, supposita est et in foederibus et in promissis, est vinculi clausi et officii suscepti; alter in alterius tamquam potestatem redactus est.

3) quamquam hoc modo de sanctitate, qua Persae manum datam reverebantur, nihil dicitur: quae religio [quam praedicant Diod. XVI 43_{3-4} et Iosephu santiqu. Iud. 18 § 328 (ubi exstat § 334: *δεξιάν τε πέμψας*)] posita est in Ahuramazdae cultu veritati indulgente, quam commendat etiam Darius, huius religionis restitutor studiosissimus, in inscriptione infra laudata.

4) nonne voce *λέγεται* lubrica fabulae fides minuitur? et auctorem suam praebere cogitationem confirmatur verbis c. 152: *ὡς μὲν ἐμοὶ δοκέει.*

5) idem Hdtus dicit III 138 Dario regnante *οὗτοι πρῶτοι ἐκ τῆς Ἀσίης ἐς τὴν Ἑλλάδα ἀπίκοντο Πέρσαι.*

6) quae quaestio (ut $5_{73, 105}$, cf. 3_{140}: *τίς τε εἴη καὶ τί ποιήσας* al.) non est facta proprie per ironiam.

7) quam ad rationem proxime accedere crediderim illam de optima republica disputationem, quam Hdtus (III 80 ss.) fingit instituentes septem Persarum nobilissimos. — quid si anceps vocabulum *ἀγορά*, quo significatur apud Graecos et *ἡ ἐκκλησία* et *τὰ ὤνια*, cessit in annominationem? ita

Contra apud Soph. quod Philoctetes profitetur (v. 811): *οὐ μήν σ' ἔνορκόν γ' ἀξιῶ θέσθαι* et flagitat (813) *ἔμβαλλε χειρὸς πίστιν*, non fides significatur magis firmata; potius Oed. Col. v. 650 comparato res intellegitur: *οὔτοι σ' ὑφ' ὅρκου γ' ὡς κακὸν πιστώσομαι.* utroque enim loco vitatur offensio diffidentis, quoniam vinculum esset gravius pro heroe obligando (cf. Hirzel, der Eid 1902, p. 118).[1]) hanc autem de iuramenti auctoritate opinionem duxerim ex sensibus illius aetatis eisdem, quibus tribuo sententiam Cyri ab Hdto fictam (cf. Hirzel, p. 115). atque ipsa dextra ad fidem augendam data non est cur apud Sophoclem moveat admirationem, qui identidem hanc praebet asseverationem.[2]) Quam ob causam non coniecerim apertam Hdti in Sophoclem esse auctoritatem, ut suspicatus est Hirzel praeceptor illustrissimus (l. l. p. 116); potius opprobrium Hdteum respectum esse crediderim ab Aristophane, cum botularium faceret gloriantem (Equit. 297 s.): *νὴ τὸν Ἑρμῆν τὸν ἀγοραῖον κἀπιορκῶ γε βλεπόντων*, cui respondet Paphlago: *ἀλλότρια σοφίζει.*[3]) nisi

ἀγοράζειν, quod Attici recentiores intellegunt *καπηλεύειν*, prioribus et Hdto est *ἐν ἀγορᾷ περιπατεῖν* (cf. Hdt. II 35 cum Nymphodori fragm. 21; III 137, 139 IV 78, 164; Sponheim in Iulian. or. 1 p. 142). *ἀγορᾶσθαι* autem vocem Ionicam adhibent Hdtus VI 11 pro *βουλεύεσθαι*, Soph. Trach. 601 pro *θροεῖν* (v. 531) sive *ἐξηγεῖσθαι* (cf. Wittekind, sermo Soph. p. 34). neque enim apud Persas erat forum, quo commeabant mercatum (quamquam *ἀγοράν* sensu translato commemorat Xenophon Cyrop. I 2_3).

1) nonne *κακός* (Oed. Col. 650) spectat in ignobilem gentem? ut idem Oedipus pronuntiat Iocastae (Oed. Reg. 1063): *σὺ μὲν γὰρ οὐδ' ἐὰν τρίτης ἐγὼ μητρὸς φανῶ τρίδουλος, ἐκφανεῖ κακή*, quae significatio decet poetam *ὁμηρικώτατον*; *κακός* enim sibi vult 'genere humili natus' Od. ξ 187, δ 64, φ 324. de eo sensu egit etiam Welcker, griech. Trag. p. 470.

2) velut Oed. R. 1510 *ξύννευσον, ὦ γενναῖε, σῇ ψαύσας χερί*, quem quidem versum aliter intellegit Zielinski (Wsch. f. kl. Phil., 1903, p. 892, contra Hirzelium, Eid p. 118_4): 'nicht der Handschlag ist hier die Hauptsache, — Kreon soll den blinden Oidipus nur deshalb berühren, damit dieser erfahre, daß seine Bitte erfüllt ist', quod non multum differre mihi videtur. Trach. 1181; et priore aetate (a. 431) Eurip. exhibuit (Med. 21): *ἀνακαλεῖ δὲ δεξιᾶς πίστιν μεγίστην*, et Hel. 838. ut Philoct. 1398: *ἃ δ' ᾔνεσάς μοι δεξιᾶς ἐμῆς θιγών*, ita etiam v. 942, quem Nauck delet offendens in vocabulo *προσθείς*, servatur, si recordamur notionem verbi 'imponere' Ionicam [cf. Wittekind, Sermo Sophocleus — p. 23, qui quidem hunc locum omisit]. neque *τε* particula obest, quoniam non *ὀμόσας* et *προσθεὶς χεῖρα* sibi opponuntur, sed ut priore versu: *ἀπάξειν οἴκαδ' — ἐς Τροίαν μ' ἄγει*, ita respondet posteriore contentio: *προσθεὶς χεῖρα δεξιὰν — τὰ τόξα μου λαβὼν ἔχει.*

3) quod referri potest ad Hdti auctoritatem, etsi scholiasta et commentatores hos versus aliter interpretantur. etenim aliis quoque comicum historici fabulis illusisse constat. sic H. B. Wright (the campaign of

potius uterque eiusdem aevi auctor aequa ratione castigat aequalium vitia. comicus enim etiam Eccles. 450 s. alludit rebus adversus testes interceptis, 603 pecuniis periurio arreptis, historicus Lacedaemonios facit obscure exprobrantes Atheniensibus (VI 86) *ὅρκῳ νικῆσαι καὶ χρήματα ληίσσασθαι.*

F. DE LONGI AEVI AUCTORITATE.

Comparare solent[1]) Aiac. 646/7:

ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
φύει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται

et Philoct. 305—6:

τάχ' οὖν τις ἄκων ἴσχε· πολλὰ γὰρ τάδε
ἐν τῷ μακρῷ γένοιτ' ἂν ἀνθρώπων χρόνῳ

cum verbis Hdti I 32: *ἐν γὰρ τῷ μακρῷ χρόνῳ πολλὰ μὲν ἔστι ἰδεῖν τὰ μή τις ἐθέλει, πολλὰ δὲ καὶ παθεῖν* et V 9: *γένοιτο δ' ἂν πᾶν ἐν τῷ μακρῷ χρόνῳ.* quae fere accurate congruere cum verbis illis Sophoclis negandum non est. atqui primum quidem *ἐν τῷ μακρῷ χρόνῳ* formula nihil praebet proprii[2]); tum quae condiciones his sententiis continentur, prorsus sunt diversae. Hdtus enim exponit I 32: per longum aevi spatium multos casus subeundos esse, V 9: longo temporis tractu quidvis posse fieri; contra Soph. Ai. 646 spectat tantum ad alicuius rei cognitionem: magno enim spatio interiecto ut occulta patefierent, ita patentia occuli.[3]) neque ipso in oriundo pereundoque vis est posita, sed in eo, quod rerum cognitio evanescit ex hominum memoria. Philoctetes autem, dum vivamus, multas res adversas perficiamus oportere profitetur (vocabulo *τάδε*). quamvis in fundamento congruant hae sententiae: crediderim suppositum esse proverbium, quod cum nullo vinculo interiore infixum esset istis fabulis Hdteis (quare alia condicio constituitur atque in illo dicto

Plataea 1904) contendit: in Acharnis (a. 425) respici Hdti libros 1—3, in Equitibus (a. 424) ll. 4—6, in Vespis (a. 422) ll. 7—9; cf. etiam Macan, Hdtus books 4—6: II 182 s., books 7—9: II 14 s. exempla collocat Christ-Schmid, griech. Lit. I 436_4.

1) velut Valckenarius, diatr. in Eurip. fragm. 1767 p. 101 et Wittekind, sermo Sophocleus p. 53.

2) affero Phil. 235; Aesch. Prom. 465; Soph. El. 330; Trach. 599; Eurip. Palam. fr. 581; Suid. v. Palamedes c. adn. Bernh.

3) versu 714 (*πάνθ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει*) pars prior *φύει τ' ἄδηλα* probatur ultro apposita ad sententiam supplendam, ut aliis quoque locis per positionem atque per detrectationem aliqua res enuntiatur definita, velut Antig. 443, 492; Trach. 962 s. Oed. R. 58, 1230, 1275: *πολλάκις τε κοὐχ ἅπαξ* al. Hdt. VII 46: *πολλάκις καὶ οὐκὶ ἅπαξ*, quam nimirum coniunctionem non debet alter alteri.

Solonis), historicus extrinsecus arcessivit: diversas existimo eiusdem proverbi formas, quod elucet e summa similitudine verborum et Hdti V 9 et Soph. Phil. 306 et Eupolis CGF II p. 549 Mein.: *πολλά γ' ἐν μακρῷ χρόνῳ γίγνεται μεταλλαγῇ πραγμάτων.*[1])

G. DE ANTIGONAE VERSIBUS 905—12.

Acerrime inter omnes hos locos Sophocleos, quibus Hdti verba expressa esse videntur, pugnatum est de Antig. vv. 904 ss., utrum genuini sint an interpolati; ita fieri iam vix potest, ut omnia ad unum, quae aut libellis aut singulis sententiis de hoc loco vere famoso conscripta sunt, colligamus. quare equidem non in animo habeo magnam de incorrupta versuum integritate orationem instituere; satis habeo illa scripta quoad mihi innotuerunt, enumerare ea ratione, ut auctores quo stent in gradu, statim intellegatur.[2]) iam ipse ordo ingens dissertationum, quas exhibui, clamat nostra quidem aetate versus esse spurios non posse comprobari; immo adhuc valent verba Classenii de hoc loco dicta[3]): 'es steht im allgemeinen so: dafs die logisch-aesthetische Betrachtung fast immer — zur Verwerfung, dafs aber kritisch-historische Betrachtung — zur Verteidigung, zur Aufrechterhaltung der Stelle geführt hat'. ideo igitur certum iudicium ferri non potest, versus non possunt expelli.[4]) id quoque ut hac dissertatiuncula affirmarem, mihi proposui, cum ostendam Sophoclem et hoc et aliis locis,[5]) ipsis in talibus argumentis ex Hdti historiis sumptis non tam accurate respexisse artis condiciones (nostro quidem ex iudicio severiore).[6]) sed aliunde quoque arcessi possunt exempla

1) similis sensus praebetur etiam Soph. Hippon. fr. 280: *πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδέν, ὡς ὁ πάνθ' ὁρῶν καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.*

2) ne facta facerem, omisi dissertationes plus centum ante a. 1888 compositas, quas cunctas fere potes requirere ex diligentissima locorum collectione a Cristofolini instituta ('Sopra un passo controverso nell' Antigone di Sofocle' progr. Triest 1888). neglegentius nomina congesserat H. Otte, de fabula Oedipodea apud Soph. diss. 1879 p. 26 ss.

3) Verh. 27. Philol. Vers. 1869 p. 110.

4) scrupulos grammaticos sustulerunt Kaibel, de Soph. Ant. 1897; Reiter, Zeitschr. Österr. Gymn. 1898 961 ff.; Bruhn-Schneidew. Antig. [10]1904 p. 34 ss.

5) ut non dicam de sententiis eiusdem fabulae inter se contrariis, de quibus Dopheide nuper sagaciter egit diss. inscr. 'de Soph. arte dramatica e fabularum rebus inter se discrepantibus cognoscenda' 1910.

6) celeberrimae illi Goethii sententiae (Gespräche mit Eckermann III (ed. 1848) p. 128, 28. März 1827): 'ein Motiv, das ganz schlecht ist und fast ans Komische streift. — ich möchte sehr gerne, daß ein guter Philologe uns bewiese, die Stelle sei unecht' (excitatae libro discipuli Hegeliani Hinrichs, das Wesen der antiken Tragoedie 1827 p. 13 ss.) oppono Schilleri epistulam a. 1798 (Döringsche Briefs. p. 417): 'es ist mir beim

huius ut ita dicam libertatis et compositionis frigidioris.[1]) Sophocles vero externae auctoritatis exemplo et illecebris ad tales argutias delatus est. et profecto ea fabula Graecis erat quod dicitur *ἄπιστον*: probat quaestio Darei[2]), probat dictum Aristotelis (Rhetor. III 16_9): *ἂν δ' ἄπιστον ᾖ, τότε τὴν αἰτίαν ἐπιλέγειν· ὥσπερ Σοφοκλῆς ποιεῖ παράδειγμα τὸ ἐκ τῆς Ἀντιγόνης* —. itaque recte non iudicant ii, qui illam narrationem hominum sermone propagatam fuisse atque ex hoc communi fonte utrumque hausisse arbitrentur.[3]) nam si ista sententia in sophistarum scholis adeo tractata esset[4]), mirum sane esset, quod, cum necessario in aliis quoque tum litteris eadem cogitatio exstitisset, Aristoteles et Clemens Alexandr. et schol. ad Oed. Reg. 968 tantum Sophoclem, Plutarchus (de amor. frat. p. 481 E) Hdtum cognoverunt testem.[5]) nec magis probanda est opinio eo-

Lesen des Sophocles mehrmals eine Art von Spielerei bei den ernsthaftesten Dialogen aufgefallen, die man einem Neueren nicht nachgehen ließe. aber den Alten kleidet sie doch, wenigstens verdeckt sie die Stimmung keineswegs und hilft doch einigermaßen dem Gemüt bei pathetischen Szenen eine gewisse Aisance und Freiheit mitzuteilen. eine Unart scheint sie mir aber doch zu sein und also nichts weniger als Nachahmung zu verdienen'.

1) velut Thucyd. II 44_3. item Praxitheae (in Eurip. Erechth. fr. 360) marito filiam mactandam commendantis verba, quae Nestle (Eurip. p. 277) vocat 'nichts anderes als ein Rechenexempel'. et quoties more sophistarum disceptatum sit de ea re, utrum pater an mater pluris staret filio, notum est. atque id iam ab Aeschylo in Eumen. (cf. Christ-Schmid, griech. Lit. I^5 287), ab Euripide Or. 551 ss., fr. 1064: quae argumentatio tragico sine dubio haud ridicula est visa.

2) etsi longius processisse mihi videtur is, qui illis verbis, quae loquentem faciat regem, scriptorem censet ipsum esse intellegendum.

3) ut inter alios G. Hermann, Soph. Ant. ed. III. Erfurdt 1830 p. 32 s.; J. Moeller, Ehrengabe der Latina 1906 p. 82 ss.

4) ut censent Baehr (Heidelb. Jb. 1851 p. 950 ss. et in Hdti edit. II. 1857) et E. Schwartz Quaestt. Ionic. (Ind. lect. Rost. 1891) p. 11: '— a sophista acute excogitata esse videtur, ut quam vim habeant *συγγένεια* et *κῆδος* appareat'.

5) Lucianus quidem similem fabulam profert, qua amici caritas celebretur (in dial. Toxar. 61): nihil vero est nisi Hdti narratio permutata (cf. Reiter l. l. 966). contra sui iuris esse videtur Seneca, cum effatur (de remed. fortuit. 16_9): 'amisi uxorem bonam. — soror recuperari bona non potest nec mater: uxor adventicium bonum est'. praetermittimus sententiam latius propagatam, qua significatur vinculum sanguinis artius esse quam matrimonii. iuvat fortasse afferre contrariam Catulli, i. e. Alexandrinorum, sententiam c. 64_{149-51}, ubi Ariadna a Theseo deserta has voces emittit in amatorem perfidum:

'certe ego te in medio versantem turbine leti
eripui, et potius germanum amittere crevi,
quam tibi fallaci supremo in tempore dessem'.

rum[1]), qui residuum esse suspicantur antiqui iuris materni. nec contrarium est, quod his temporibus complures fabulae ex eodem fundamento exstructae sunt collectae.[2])

Ipsa enim compositio concisa, quae eis fabulis offertur, significatur inexspectata et propter eventum loquenti felicem inaudita. sequitur quam certissime iam eam ob causam, ut artum inter Sophoclis Hdtique narrationes vinculum sit constituendum. at quaeramus, num revera Soph. rem hauserit ex historico. ac profecto iam inter veteres cognovit (quoad scimus primus) Clemens Alexandrinus l. l. utrumque scriptorem hac in re convenire et Hdtum arguit furti. atqui inde a Bothe (ed. Ant. 1806) ab omnibus fere agnoscitur non Sophoclem esse existimandum primarium. ipsaque verba ut commodius in Persicae illius mulieris condicionem quam in Antigonae fortunam conveniunt,[3]) ita tragico historici narrationem ante oculos fuisse et data opera expressam esse comprobant; tanta enim utriusque loci similitudo est, ut non prodiisse alter ex altero non possit.[4]) tota enim istius *ζητήματος* compositio mirum quantum apud utrumque consentit; sic primum enuntiatur mulierum professio: ʻpraeter ceteros diligo et deligo fratremʼ. tum quaeritur causa: *τίνα ἔχουσα γνώμην — τὸν ἀδελφεὸν εἵλευ*: et *τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω*;[5]) iam clarior est consensus, si revera, quod contendunt Kaibel, de Soph. Antig. 1897 p. 7 et Reiter p. 976, *ὁ νόμος* hic est ʻquod sibi quisque faciendum

1) velut Wassmeri Jb. f. Philol. 155. 1897 p. 701—4, cui adstipulatur aliqua ex parte J. Moeller.

2) velut a Pischel, Herm. 28 p. 465—68; Noeldeke, Herm. 29 p. 155—56; Axon, Class. Rev. 1903 p. 387; Barnett ibid. p. 209 s.; Rouse ib. 1904 p. 386 s.; K. Fries, Rh. M. 1904 p. 210, 225; Pizzi, mélanges Ch. de Harlez 1896 p. 226—7. cf. J. Moeller p. 81_2.

3) condiciones prorsus diversas utrique fabulae esse subiectas imprimis praedicant P. Corssen, die Antig. des Soph. 1898 et J. Moeller p. 88.

4) ita bene iam Wex (in prolegg. edit. I 73): ʻquid tandem, inquit, est, cur dicat *ἀπ᾽ ἄλλου φωτός*, cum si filius interisset, non necesse erat, ut et coniunx demortuus esset, immo poterat ex eodem marito alios liberos suscipere? causam hanc esse suspicamur, quia Sophocli illius feminae Hdteae exemplum obversatum est, cui si fratrem praeferret, non solum de liberorum, sed simul de coniugis iactura periclitandum eratʼ. quod enim remedium proponit Reiter p. 977, sagacius est quam verius: ʻbei ausdrucksvollem Vortrag, der nach *παῖς* entsprechend pausiert — wird jede Zweideutigkeit schwindenʼ. Weil (Rev. des ét. gr. 7 p. 261—6) intellegit: maritum, nisi mortuus esset, defendere infantem debuisse.

5) hac quaestione in se ipsam versa comprobari videtur sermo intimus (qui dicitur *μονόλογος*), quem praedicat Fr. Leo, der Monolog im Drama (Gött. Abh. 1908 p. 10).

νομίζει' i. e. ἡ γνώμη Hdtea.[1]) deinde τὸ ἄπιστον solvitur atque id aequo prorsus ordine; incipiunt:

ἀνὴρ μὲν ἄν μοι ἄλλος γένοιτο:
πόσις μὲν ἄν μοι κατθανόντος ἄλλος ἦν.
καὶ τέκνα ἄλλα, εἰ ταῦτα ἀποβάλοιμι:
καὶ παῖς ἀπ' ἄλλου φωτός, εἰ τοῦδ' ἤμπλακον.[2])

pergunt: πατρὸς δὲ καὶ μητρὸς οὐκέτι μευ ζωόντων ἀδελφεὸς ἂν ἄλλος οὐδενὶ τρόπῳ γένοιτο:

μητρὸς δ' ἐν Ἅιδου καὶ πατρὸς κεκευθότοιν
οὐκ ἔστ' ἀδελφὸς ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ:

parentum commutatio debetur metri necessitati. contra ea difficultate logica, quae inest versui 912, cum Antigona ut defendat fratris sepulturam, negat alium fratrem posse nasci, confirmantur vestigia Hdti.[3]) — etiam clausula, qua repetitur quaerendi initium, eadem est:

ταύτῃ τῇ γνώμῃ χρεωμένη ἔλεξα ταῦτα
et: τοιῷδε μέντοι σ' ἐκπροτιμήσασ' ἐγὼ νόμῳ —

denique eventus definitur sic: εὖ τε δὴ ἔδοξε τῷ Δαρείῳ εἰπεῖν ἡ γυνὴ καί οἱ ἀπῆκε τοῦτον —

et: Κρέοντι ταῦτ' ἔδοξ' ἁμαρτάνειν — καὶ νῦν ἄγει με —:

hoc exitu contrario posterior aliquis falsarius ut sententiam inculcaret, vix est inductus. quamquam haud prorsus nego fieri potuisse, ut Soph. illud argumentum operi iam ad finem perducto insereret [quod exposuit P. Cauer, Grundfragen der Homerkritik² 1909 p. 380; cf. Bruhn, ed. Antig. 1904 p. 37. — nimiam nimirum vim Kaibel (de Soph. Antig. 1897 p. 20) isti fabulae attribuit, si universam tragoediae rationem Hdti narratione commotum poetam confinxisse suspicatur], tamen cur fabula iterum in scaenam producenda ita propagata sit, nullum praesto est testimonium[4]): primae profecto actionis auctoritas multo

1) nihil fere iuvat, quod W. Schmid (Philol. 62 p. 28) exhibet: 'wer hier νόμος schrieb, der dachte vielmehr an einen νόμος βαρβαρικός, demzufolge die Bluts- der Wahlverwandtschaft voranstehe'. nam si testes affert illas fabulas parallelas, in omnibus eodem modo ipsa sententia inexspectata atque inaudita ad faustum exitum rem perducit.

2) unde elucet τοῦδε pertinere ad παῖς non ad φωτός (similique modo v. 905 scriptura εἰ τέκν' ὢν μήτηρ ἔφυν pro τέκνων defenditur verbis τὸν ἄνδρα τε καὶ τὰ τέκνα).

3) Jebb verba οὐκ ἔστιν ὅστις in aequo ponit cum οὐδείς.

4) eadem fere cogitatione priores viri docti, velut inter alios A. Schöll [Soph., sein Leben u. Wirken 1842 p. 119 ss. not. 64; primus, quod sciam, nisus adnot. serv. ap. Cramer. Anecd. Oxon. IV 315: πολλὰ γὰρ νοθευόμενά ἐστιν, ὡς ἡ Σοφοκλέους Ἀντιγόνη. λέγεται γὰρ εἶναι Ἰοφῶντος (Ἀντιφῶντος cod.) τοῦ Σοφοκλέους υἱοῦ], G. Wolff (Zsch. f. Alt. 1846 p. 628 ss.), H. Macnaghten (Journal of Ph. 24 1896 p. 171 ss.) versus suspectos tribuerunt Iophonti.

probabilior est.[1]) nec magis probatur poetam tum demum cum tragoediarum libros curavit edendos, illos versus inseruisse: potius vigente procreandi impulsu; etsi fabulae corpori nudis ossibus iam cohaerenti licet insertum sit illud *ἐνθύμημα* tamquam viscera exornantia. — sed haec una restat dubitatio, quod ista Antigonae verba de verbis expressa haerent ex illo capite Hdteo contra plurium imitationum consuetudinem, quas, cum Euripides semper fere sapiat ex commentariis conscriptis, Soph. potius debere videtur familiaritati cotidianae.[2])

Ergo utrumque locum consentire usque ad verba et tragicum expressisse historiam Hdti amici litteris commissam expositum est quam evidentissime: et paulo ante (a. 445) Hdtus Athenis recitavit historiarum suarum partem aliquam; atque hoc ipso anno Sophocles *ἐπιγραμμάτιον* illud composuit in Hdtum suum amicissimum, qui tum temporis erat Thuriis. qua via revertimur ad id, quod supra de hoc elegidio exposuimus. iam dudum enim viri docti, qua ratione voces *ᾠδή* et *ἐπιγραμμάτιον* in unum possent concludi, disceptaverunt.[3]) quae difficultas qui melius solvitur, quam si ambas voces discernimus? etiam *τεῦξεν* tempus aoristum facilius intellegitur, si *ᾠδήν* censemus spectare in aliud carmen antea compositum neque in hos versus. sic vero nihil propius abest, quam versus illi Antigonae, quos tragicus in honorem historici paulo ante confecerat. qua re ut iam Zurborg coniecit illos versus redolere iocosam epistulae praescriptionem, quid si hoc dedicationis disticho poeta scriptori misit exemplar versuum Antigonae proxime compositae?[4]) — Ea autem ratio, qua *ἂν ἄπιστον ᾖ, τότε ἡ αἰτία ἐπιλέγεται*, invenitur etiam Antigonae vv. 461—64:

εἰ δὲ τοῦ χρόνου
πρόσθεν θανοῦμαι, κέρδος αὔτ' ἐγὼ λέγω.
ὅστις γὰρ ἐν πολλοῖσιν, ὡς ἐγώ, κακοῖς
ζῇ, πῶς ὅδ' οὐχὶ κατθανὼν κέρδος φέρει;

1) librum enim aliquem historicum scriptor, ubi nova fama advenit, extemplo potest augere, cum certum quoddam temporis momentum exigatur ad tragoediam exornandam, quae illo aevo destinabatur ad agendum neque legendum.

2) quamquam id non tam certum est omnibus in exemplis, si quidem quae ratio constituenda est inter Oed. R. vv. 25 et 387 sumptos ex Hdto III 61 ss.

3) velut Zurborg, Sophokles und die Elegie, Herm. 10, 1876 207 s. et Baier, Ber. d. Freien Deutsch. Hochstifts zu Frkf. a. M. N. F. VII 1891 p. 259s.

4) sin vero istos versus postea demum, cum poeta tragoedias edidit litteris conscriptas, insertos esse Cauer recte coniecit, dedicationis rationem crederes inversam, qua is, qui id epigramma composuit, id egerit, ut imitationem tum oculis subiectam affirmaret.

et v. 436—9 (eisque vitiosis, cf. Bruhni adn.):

ἄμ' ἡδέως ἔμοιγε κἀλγεινῶς ἅμα.
τὸ μὲν γὰρ αὐτὸν ἐκ κακῶν πεφευγέναι
ἥδιστον, ἐς κακὸν δὲ τοὺς φίλους ἄγειν
ἀλγεινόν.

et modo simillimo Oed. Col. 337—41, quibus de versibus mox agemus.[1])

IV. DE REBUS AD ORBIS TERRARUM COGNITIONEM SPECTANTIBUS.

A. DE COGNITIONIS GEOGRAPHICAE CIRCUITU.

Restat una magna provincia historici vestigiorum ad res (non ad vocabula) pertinentium: dico condiciones, sententias, commemorationes in geographiam spectantes. nec vero meum est accurate considerare, quid Soph. de orbe terrarum cognitum habuerit et quem ad modum congruat cum Hdti notitiis de mundi regionibus datis. satis nunc habeo animos delegare ad duas dissertationes a Mauritio Waiss compositas, quarum altera exposuit de Europa ad occidentem et ad septentriones sita quid tradiderint Soph. et Eurip. (progr. 1903 p. 3—17); cuius summa est haec (p. 9): Sophoclem de Italiae Siciliaeque partibus melius institutum fuisse quam priores; immo Euripidis notationibus de terrarum cognitione comparatis auctor contendit (p. 16): 'während es mit Eurip. Kenntnissen von Italien ziemlich schlecht bestellt ist, so mufs von Soph. das gerade Gegenteil behauptet werden, wie es ja auch nicht anders zu erwarten ist von einem Dichter, der jede Gelegenheit benutzt, um sorgfältige Schilderungen, geogr. Notizen einzuflechten'. et altera de oris Ponti Euxini inquisitione (in Stud. Vindob. 26 (1904) $_{1-13}$) ad hunc exitum pervenit (p. 13): '3 Zeitgenossen des Soph., 2 ältere: Pindar und Aischylos, ein jüngerer: Antimachos huldigen noch den alten, mythischen Vorstellungen vom entfernten Osten, Sophokles hingegen — ist schon beeinflufst

1) denique affero verba Hdti II $_{30}$: *Ψαμμήτιχος — ἀπολιπεῖν οὐκ ἔα καὶ τέκνα καὶ γυναῖκας. τῶν δέ τινα λέγεται δέξαντα τὸ αἰδοῖον εἰπεῖν, ἔνθα ἂν τοῦτο ᾖ, ἔσεσθαι αὐτοῖσι ἐνθαῦτα καὶ τέκνα καὶ γυναῖκας.* cui sententiae eadem infantium in futuro gignendorum cogitatio subiecta est; ad h. l. Wiedemann alia exempla affert mulierum, quae in uterum monstrantes dicunt ibi abditum esse filium, ut Tacit. Hist. 2_{13} Ann. 14_{8}; Plut. moral. p. 241 B, 246 A.

von der jonischen Geographie, als deren wichtigste Vertreter Herodot u. Hippokrates erscheinen.'[1])

Quantum vero ad modum et quibus in rebus singulis tragicus expresserit ipsius historici scientiam terrarum aut per litteras aut per colloquium cognitam, sane discretu est difficilius, quam ut brevi perficere possimus. commemoro tantum Triptolemum tragoediam, qua poeta Cererem fingit telluris seminandae regiones amplissimas praeterferentem,[2]) primam esse a Sophocle a. 468 in volgus editam: quo tempore certe nulla cum historico exstabat necessitudo.[3])

Ex altera vero parte terrarum cognitionem illa iam aetate adeo in usum communem pervenisse negandum est, ut subitus et fortuitus unus quisque sine ulla diligentia potuerit peregrinas res effundere singulas.[4]) itaque (ut exemplum afferam) Scytharum licet nomen iam dudum innotuerit Graecis, non erant cogniti singuli quoque mores consuetudinesque.[5]) neque his in rebus quaerendum est: nonne iam ante Hdtum homo quis Graecus quosdam fines adiit? potius: unde summa cum probabilitate scientiam suam geographicam hausit Sophocles? is enim qui *φιλαθήναιος* appellatus non externa sectabatur et aliter atque Aeschylus Euripidesque condiciones a regibus propositas aspernabatur, indigebat ducis rerum peregrinarum quam peritissimi.[6]) qua in re repetimus id, quod iam supra diximus: inter om-

1) in singula quadam re delego ad Pauly-W. s. v. Chersonesos p. 2256_{64} ss. de Soph. fr. 641.

2) imprimis partes Italiae frg. 541. alterum terrarum circuitum nunc afferimus ex Ichneut. satyr. (prol. Apollinis, col. I 15—II 5).

3) potius tum temporis aliae cum Italia rationes possunt constitui: Themistocles filiabus suis nomen dederat *Ἰταλίαν* et *Σύβαριν*, et ante pugnam navalem apud Salaminem commissam se cum Atheniensibus expulsis migraturum esse in Italiam minatus est (Hdt. VIII 62). contra vox *Ἰταλίαν* Antig. 1119, quam cur virga quadam censoria notemus, non habemus, a Wilamowitzio revocata est ad Thurios ab Atheniensibus paulo ante conditos (et revocanda est, ut equidem adicio, etiam ad Hdtum, cui poeta dedicat illos versus priores): cf. Eurip. Herakles I 32_{57}, ubi profitetur vir doctissimus: 'Soph. wirft mit geogr. Namen fast wie ein Römer um sich —', exhibet Ai. 695 Ant. 1037. 1115. 1119 Oed. R. 1227 Phil. 393 Androm. 122 (de homine Saturno mactato) Thyest. 234, Triptol. fab., Pastor. 462.

4) hoc elucere mihi videtur etiam ex Waissii inquisitionibus.

5) illud si fuisset, Hdti historiae pretii auctoritatisque amisissent summam, quae erat grata novitas.

6) nonne huc pertinet id quoque, quod cum reliqui societatis Pericleae sodales ingenii acumine praediti, dico Hdtum, Anaxagoram, Lamponem, Thuriis, Periclis incepto studioque, praesentes assisterent condendis, Soph. domi mansit? (ut Phidias Athenis relinqueretur, id erat, quod tum temporis Acropolis exornabatur): tragicus quidem a. 443_2 versatus est in imperio Attico dispertiendo. huicne eventui debemus tragoedias Sophocleas?

nes fontes, qui possunt cogitari, summum momentum tribuendum est studiis historici familiarissimi; is certe tragico erat praesto, eum cognovit necessario. ergo talia relata geographica quem ad modum censenda sint ex Hdti familiaritate arcessita discretu est difficile. nequaquam historicus ullam praebuit auctoritatem ad Triptol. exornandam fabulam (v. s.). neque magis Thermopylarum descriptio (Trachin. 633—9) pendet ex Hdtea loci pugnae expositione (VII 176). sed alias quasdam res singulas ad rationem declarandam afferamus liceat. ita de Scytharum capitis deglubendi more iam in prima huius dissertationis parte egimus (p. 21 s.).

B. DE MORE AEGYPTIO.

Commemoravimus etiam Oed. Col. v. 337—41, quibus tragicus alludit consuetudinibus Aegyptiacis, quales proponit Hdtus. qui versus sunt hi:

ὦ πάντ' ἐκείνω τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ νόμοις
φύσιν κατεικασθέντε καὶ βίου τροφάς.
ἐκεῖ γὰρ οἱ μὲν ἄρσενες κατὰ στέγας
θακοῦσιν ἱστουργοῦντες, αἱ δὲ σύννομοι
τἄξω βίου τροφεῖα πορσύνουσ' ἀεί.

quid mirum, quod hos quoque versus qui in suspicionem vocaret, exstitit? lex paene est omnes, qui exemplum sapiant Hdteum, locos infamari. hic vero iam magis quam in vv. Antig. firmum exstinguendi argumentum desideratur: ne logici quidem scrupuli possunt afferri.[1]) immo optime inserta est ea sententia fabulae in propinquo sita. nam quod filii inducuntur nihil agentes, filiae autem summam patris curam habentes, contrarium est moribus humanis aut minimum Graecis, apud quos viri versabantur in foro, mulierum erat domi manere: a feminis nihil exspectatur praeclari publice acti.[2]) et quoniam ad do-

1) nescio enim cur verba *κατὰ στέγας θακοῦσιν* contraria censeat Bruhn (ed. Antig. 1904 p. 36) Ismenae enuntiationi: *εἴσ' οὗπέρ εἰσι. δεινὰ δ' ἐν κείνοις τὰ νῦν. δεινόν* profecto significat id, quod extra modum prodit sive rationi usitatae oppositum est. Ismenae autem interest patrem, qua condicione tunc fratres teneantur, primo celare: id ei contigisse probat ipsa Oedipodis responsio, qui intellexit: *κατ' οἶκον οἰκουροῦσιν* (v. 343).

2) eam aestimationem profitetur Oedipus v. 445: *οὔσαιν παρθένοιν* et v. 1368 *αἵδ' ἄνδρες, οὐ γυναῖκες εἰς τὸ συμπονεῖν* cf. El. 997. id est genus invalidius, cum viri, quibus natura vires dederit maiores, effeminentur (*γυναικίζειν*). ita apud Hdtum (8_{88}) invenimus Xerxis dictum in Artemisiam: *οἱ μὲν ἄνδρες γεγόνασί μοι γυναῖκες, αἱ δὲ γυναῖκες ἄνδρες.* Il. Θ 163 Hector increpat in Diomedem:

νῦν δέ σ' ἀτιμήσουσι· γυναικὸς ἄρ' ἀντὶ τέτυξο.

mestica negotia, quibus mulieres vacabant, potissimum pertinebat opus textorium, viro alicui summae est ignominiae, si dicitur lanam tractare (velut Sardanapalus apud Iustin. I 3_4).[1]) sententia igitur non tam remota erat, ut sine aliqua causa tragicus advocaret Aegyptios: Hdtus est proximus, cui rem tribuamus.[2]) interponitur quidem Aegyptios iam dudum Graecis fuisse notos: sic C. Fries (Quaestt. Hdteae 1893 p. 7) Aeschylum exponit multis locis (praesertim scilicet in Supplic.) res Aegyptias commemorasse; sed ut is Hecataeum adhibet auctorem, ita Sophocli quoque praesto erat subsidium facillimum, nempe Hdtus, cuius historiis nos quoque tenemus descriptiones eas pulcherrime expositas: fidentes versus Soph. in aequo ponimus verbis Hdteis (2_{35}): Aegyptii *τὰ πολλὰ πάντα ἔμπαλιν τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι ἐστήσαντο ἤθεά τε καὶ νόμους· ἐν τοῖσι αἳ μὲν γυναῖκες ἀγοράζουσι καὶ καπηλεύουσι, οἱ δὲ ἄνδρες κατ' οἴκους ἐόντες ὑφαίνουσι* (*πάντα* v. 337 'ex omni parte' rhetorice est usurpatum.[3]) ut praetermittamus illas Aegyptiorum consuetudines ad discrepantiam morum Graecorum augendam extra modum elatas esse ab Hdto (cf. Wiedemanni comment. ad libr. II. 1890).[4])

1) quippe simillima huic rei affero verba, quae Gutschmid enuntiat de Amazonibus (opusc. 5, 1894, $_{112}$): 'echter Bestandteil der Sage ist der Rollenwechsel der beiden Geschlechter, wie ihn am einfachsten u. treusten Diodor 2_{45} widergibt: die Amazonenkönigin gab ein Gesetz, das die Frauen zu kriegerischen Kämpfen erzog, den Männern Erniedrigung u. Knechtschaft anhing; den Männern teilte sie die Spinnarbeiten u. die häuslichen Beschäftigungen der Weiber zu'.

2) adiuvamur eo, quod v. 338 *κατεικάζω* vocabulum est Ionicum: cf. Wittekind, sermo Soph. — p. 34.

3) E. Bruhn (Fl. Jb. suppl. 15 1887 p. 311_{61}) exhibet de hac voce *πάντα*: 'respici h. l. Hdtum prope *γραμμικῇ ἀποδείξει* probari potest. Oedipus enim dum omnibus in rebus, etiam vitae cultu similes dicit Aegyptiis filios, significat verba eiusdem capitis postrema: *τρέφειν τοὺς τοκέας τοῖσι μὲν παισὶ οὐδεμία ἀνάγκη μὴ βουλομένοισι, τῇσι δὲ θυγατράσι πᾶσα ἀνάγκη καὶ μὴ βουλομένῃσιν*'. cf. Soph. Antig. ed. Schneid. X 1904 p. 36 s.

4) Nymphodorus enim quod prorsus easdem res eisdem verbis tradit (in schol. ad illum locum Soph. Oed. Col. 337), aperte profectus est ex Hdti relatione (quod credit etiam Gutschmid in Wiedem. comm.). namque scriptor is Alexandrinus, cum facta barbarorum mirabilia colligeret, ne suis quidem commentis abstinuisse videtur. sic ex Hdti libris hanc fabulam conquisivit. quod enim argumentum regi Aegyptio tribuit ad populares effeminandos, stultius est, quam ut aliunde translatum ignoremus. atque ipse detegit fontem, cum exemplum affert Lydorum: quo modo cur rex veritus, ne cives frequentissimi novas res molirentur, illos mores instituerit intellegitur, si recordamur de Lydis seditiosis a Cyro subactis, quas res refert idem Hdtus I 155—7. Aegyptiorum igitur consuetudines cum petita Lydorum debilitatione Nymphodorus in unum contulit secundum Hdti

C. DE COLUMBIS DODONAEIS.

Transimus ad Trachin. v. 171—72, ubi mentio fit columbarum, quae ex quercu Dodonaea dant responsa; Hdtus enim, quae de origine huius oraculi et de columbarum adventu exploravit, fuse narrat 54—7. atqui quin antiquissima vaticinationis inter Graecos sedes fuerit Dodonae, vix est dubium[1]); cuius gloria effertur iam in carminibus Homericis.[2]) unde nomen omnibus Graecis erat notum; num etiam originis fama innotuerit, alia res est. quae enim historicus apud Aegyptios (*ἱρέας τοῦ Θηβαιέος Διός*) et Dodonaeos (*τὰς προμάντιας*) indagavit, profert tamquam reperta novissima. et profecto haec Hdti narratio speciem prae se fert aetatis recentioris, quod forma Dodonaea apparet ex Aegyptiorum fama in statum honestiorem mutata; neque enim societas cum Aegyptia inita in fabulam invasit a Dodonaeorum parte; quamquam ipsae columbae vaticinantes multo antiquiori nimirum aetati debentur.[3]) at iam Pindarus, qui composuit *παιᾶνα εἰς Δία Δωδωναῖον*, illam originis fabulam tractavit[4]): unde Sophocli columbae poterant venire in mentem. nec contra est afferendum Sophoclem, quod v. 1167 usurpatur formam *Σελλοί*, non inspexisse carmen Pindaricum, quo exhibitam fuisse formam *Ἑλλοί* testatur schol. ad Il. *Π* 235, cum dicit: *Πίνδαρος Ἑλλοὶ χωρὶς τοῦ σ ἀπὸ Ἑλλοῦ τοῦ δρυτόμου, ᾧ φασι τὴν περιστερὰν πρώτην καταδεῖξαι τὸ μαντεῖον.* nam apud Homerum (si non semper, at tum certe) exstabat *Σελλοί*[5]): itaque tragicus, ut auctoritas Homerica pluris staret quam Pindarica, concessit populo, qui auribus solitum tenebat et nomen et versum epicum.[6]) ergo num Sophocles ex Hdti

narrationes. etiam iuniores assurgere senioribus refert ex Hdti testimonio (II 80). Sesostris vero nomen cur exhibeatur, facile intellegitur, quoniam aliis quoque locis huic regi, qui Graecis praebuit quasi effigiem imperii perfectissimi, nova instituta attribuuntur (cf. Wiedem. ad Hdti l. II. p. 403 ss.; Hdt. II 102; de itinerariis quae ferebantur Sesostris vide v. Bissing, N. Jb. 29 1912 p. 86_2). Suidas quidem s. v. *Σέσωστρις* eadem ratione ab eodem rege Aegyptiorum mores effeminatos esse tradit, sed Nymphodori auctoritas perlucida est e verborum constructione si non mendosa, certe incondita (cf. Bernhardy in Suidae edit. II. 1853).

1) cf. Kern in Pauly-Wiss. encycl. s. v. Dodona, 1903, p. 1259 ss.

2) Il. *B* 750, *Π* 234; Od. *ξ* 327, *τ* 296.

3) cf. Gruppe, griech. Myth. 354; Kern p. 1261_{59} ss.

4) frg. 58 p. 403 Schroeder = schol. Soph. Trach. 172: *οἱ δὲ δύο (γεγονέναι φασὶν τὰς πελειάδας) καὶ τὴν μὲν εἰς Λιβύην ἀφικέσθαι Θήβηθεν εἰς τὸ τοῦ Ἄμμωνος χρηστήριον τὴν δὲ περὶ τὴν Δωδώνην ὡς καὶ Πίνδαρος παιᾶσιν.*

5) etsi iustior forma erat *ἀμφὶ δέ σ' Ἑλλοί* cf. Gruppe myth. gr. 355.

6) cui Soph. alludit vocabulo *χαμαικοιτῶν* v. 1166 adhibito, ut Il. *Π* 235.

auctoritate columbas introduxerit (quod contendit Kern quoque l. l.), discernere non audeo.[1])

D. DE FORMICIS INDICIS.

Aliud argumentum paucis verbis tractandum nobis affertur Photi lexico, ubi exstat[2]): ἐσφηκωμένον· ἐσφιγμένον. ἀπὸ τῶν σφηκῶν, οἳ κατὰ μέσον ἐσφιγμένοι· ἔνθεν ⟨καλεῖ σφηκούς⟩· Σοφοκλῆς Αἰθίοψι τοὺς ἐσφιγμένους μύρμηκας ⟨καὶ οὐ κεχυμένους⟩ τῇ σαρκώσει· — quibus verbis si adicimus ea, quae Photius tradit v. ὀρθόπτερον· Σοφοκλῆς Αἰθίοψιν· ὀρθοὺς ἔχοντα κολωνούς· — καὶ τὰ πτερίστῳα coll. Hesych. v. ὀρθόπτερον· μεγάλους κολωνοὺς ἔχουσα· — ἢ μεγάλας ἔχουσα περιστῴους οἰκοδομάς: nulla fere restat dubitatio, quin Soph. mentionem fecerit eorum animalium, de quibus disserit Hdtus III 109 in descriptione Mesopotamiae, Memnonis patriae.[3]) neque enim hae formicae[4]) tam accurate descriptae seiungi possunt ab Hdteis formicis in deserto Indiae aurum egerentibus. supposita autem est fabula quaedam Indica.[5]) apud Hdtum quidem levis tantum ratio initur cum Aethiopibus, quae tamen principatum tenet apud posteriores: sic iam Ctesias famam, qua grypes consistunt ad solem orientem versi in Aethiopum finibus, coniunxit cum formicarum fabula ab Hdto prodita.[6]) quare Holland (Roscheri lex. myth. v. Memnon 1896 p. 2656_{23}) haud recte negat ullam necessitudinem exstare inter istos versus Sophoclis et Hdti narrationem: prorsus neglexit vinculum quo grypes et formicae in unum conferuntur; hac enim ratione auctoritas arcessitur etiam Aeschyli, quocum consentit Hdtus.[7])

1) nisi ex eo certi quid concludis, quod Soph. duas columbas exhibet Dodonaeas (v. 172 Δωδῶνι δισσῶν ἐκ πελειάδων), cum Hdtus ambarum Thebis ex urbe Aegyptia profectarum alteram narret pervenisse in Libyam, alteram Dodonam.

2) cum emendationibus Naberi ad Hesych. p. 217 s. et Maur. Schmidti adhibito Hesychi testimonio v. σφηκοί.

3) historicus Σοῦσα appellat Μεμνόνιον ἄστυ V 53, 54 VII 151. Αἰθίοπες οἱ ἐκ τῆς Ἀσίης commemorantur III 94.

4) sine dubio Aethiopicae, cuius terrae remotissimae mirabilia portentosa poeta hoc dramate exornaverit.

5) cf. Marxium apud Pauly-W. s. Ameise 1894 p. 1821.

6) hanc Ctesiae narrationem (Ind. 19. Aelian. N. A. IV 27) de formicis effodientibus aurum et grypibus vigilantibus oriundam esse e Bactria sive India censet F. Westberg, Klio 4 1904 p. 190 s.

7) cf. Ziegler apud Pauly-W. s. Gryps 1912 p. 1920. Arimaspos et aurum grypibus subductum affert Hdt. III 116. — ceteroquin huc spectare videtur etiam Soph. Antig. v. 1038: τἀπὸ Σάρδεων ἤλεκτρον — καὶ τὸν Ἰνδικὸν χρυσόν (cf. Hdt. III 94).

V. DE SINGULIS VOCABULIS.

A. DE VOCE *ΜΑΓΟΣ* (Soph. Oed. R. 387).

Nonnumquam, ut supra diximus, uno verbo significatur argumentum aliunde petitum: talis est vox *Μάγος* (Oed. Reg. 387), quae movet suspicionem. hoc enim nomine ab initio vocatur gens quaedam Medorum.[1]) imprimis vero nostra interest, quid sentiat Hdtus. nam primum quidem vocabulum id nobis occurrit in Aesch. Pers. v. 321, ubi exstat: *καὶ Μᾶγος Ἄραβος*; si autem scribimus *α* longam, sane consentiendum est cum Teuffelio (ed. alt. 1875), qui censet tragicum non satis instructum uti hac mensura, quae constans sit *Μάγος* (syllaba correpta etiam in litteris Persicis Maguš); sed equidem accedo ad partes Dindorfii, qui disserit (lex. Aesch. 1876 s. v. *Μάγος*) legendum esse: *καὶ Μάγος Ἄραβος*. quod quidem ad eam sententiam probandam contendit hanc libertatem (sc. *Μᾶγος*) non posse excusari in nomine notissimo: cur notissimum illi fuit nomen?[2]) potius ut *Μάγος Ἄρᾱβος* — etiam codex Mediceus et scholiasta habent *Μάγος* acuto praeditum — defendam, adducor verbis Herodiani, qui exhibet (ed. Lentz I 140_7): *δίβραχυ — καὶ τὸ Μάγος ἐθνικόν*: unde elucet grammaticum legisse in versu Aeschyleo syllabam correp-

1) quod etiam a posterioribus exhibetur, velut a Steph. Byz. s. v. *Μαγία*.

2) eo nimirum loco, quo illius Pseudosmerdis mentio fit (v. 774: *Μάρδος* propiusne abest a Bardija quam Smerdis Hdteus? schol. exhibet formam *Μερδιάς*) non appellatur *ὁ Μάγος*, quod nomen constans est apud Hdtum et quod desiderat etiam schol. ad Pers. 776 W., quamquam utriusque fons similis est in eo, quod is qui rerum potitur, nominatur Bardija (Hdt III 61: *καὶ οὔνομα τὠυτὸ εἶχε Σμέρδιν*, cuius frater res moliturus *ὁ Μάγος Πατιζείθης* est, qua de voce agit Prašek, Gesch. d. Meder u. Perser I 1906 p. 262), cum inscriptione a Dario in Bagistānon monte insculpta probatur Gaumata hja Maguš (col. 1 v. 36 ss.); atque Aeschylum in manibus habuisse librum quendam historicum (fortasse Hecataei) confirmatur v. 761—82; sed eum, qui Persas liberaverit a Magi illius dominatione, affert principem *Ἀρταφρένεα* 776: nescio an alicuius momenti sit, quod in titulo supra laudato coniuratorum primus habetur (col. 4 v. 83) Windafarna sive *Ἰνταφρένης* (Hdt. III 70), quod ad nomen proxime inter illos septem accedit *Ἀρταφρένης* Aeschyleus, qui quidem ipse multis locis Hdteis obviam nobis fit. contra si tragicus cognosset historiam liberationis ab Hdto exhibitam (c. 68 ss.), *Ὀτάνην* laudavisset principem. ad accuratam historiarum cognitionem Aeschyleam revocem etiam id, quod tragicus ipsum Persarum nomen exhibet (praeter v. 239 et 793 et elogium sepulcrale), qui a ceteris Graecis appellabantur Medi (*τὰ Μηδικά* usque in aeva remotissima usu erant trita): ille vero Medorum imperium transisse in Persas haud ignorat v. 767 ss.

tam.[1]) nisi forte verbum ἐθνικόν ita premis, ut non idem concedas nomini proprio. etenim etsi scholiasta profert: *Μάγος ἐθνικόν, Ἄραβος κύριον*, tamen praetulerim rationem inversam, quae melius quadrat ad insequens verbum *Ἀρτάμης τε Βάκτριος* et per nominum positionem et per gentis dignitatem; atque Arabes fuisse in Darii Xerxisque exercitibus monet Dio Chrys. I 72_9.[2]) itaque quod hic locus Aeschyleus nos non tangit, procedere possumus ad Hdti libros Persicos, ubi nomen est gentis Medicae; quamquam ordinis quoque notio iam continetur, tamquam si *Μάγοι* nihil sint nisi vates sive sacerdotes.[3]) atqui eo in officio retinent genus Medicum (I 120: *ἡμεῖς ἐόντες Μῆδοι*) et distinguuntur quasi secta a Persis (I 140): ac proprie Hdto Magi sunt Medorum pars, quae diserte enumeratur inter Medorum populos (I 101)[4]); etiam de singulis Magis historicus ita loquitur; namque ille Magus *κατ' ἐξοχήν* is est, qui se simulat esse Smerdem regis fratrem: Cambyses vero mortem obiens iureiurando obligat nobiles Persarum, ne

1) contra voci *Ἄραβος*, quam poetae metri causa nonnunquam geminato ρ dicunt, post ρ litteram optime convenit α producta. in ipsius Aeschyli Prom. 420 exstat: *Ἀραβίας τ' Ἄρειον ἄνθος*, sed versus vitii est suspectus.

2) nec parvae auctoritatis esse credo testimonium Stephani Byz. s. v. *Ἀραβία*, qui ponit etiam gentile *Ἄραβος*, (quod quidem lemma vitii est suspectum), quo ceteroquin Latini tantum usi reperiuntur: aliquod exemplum ei praesto erat, nempe Aeschyli; forma quidem tum usitata (velut apud Hdtum identidem) erat *Ἀράβιος*, quam versui Aeschyleo restituere dubito. — postremo affero Sophoclem fr. 217 *μαγάδιδες* (*ψαλτικὸν ὄργανον Λυδόν*), quod nomen in aliorum poetarum locis syllabam primam brevem habet, metro anapaestico accommodasse syllaba prima producta.

3) velut I 32 VII 113, 191 Magis opus est, ut sacrificia rite perficiantur; ac profecto hi vaticinia praestant apud Persas, ita ut arcessantur *τῶν Μάγων οἱ ὀνειροπόλοι* (I 107 s.); etiam Xerxi somnia explicant Magi (VII 19, 39); hoc quidem est aetate progressa: nam quomodo ipsi Persae nomen acceperint, minus huc pertinet. Bartholomae (altiran. Wörterb. 1905 p. 1111) dicit s. r. magav —: „bezeichnet einen medischen Stamm, für den die Priesterwürde vorbehalten war". Plato quidem (Alcib. I 122) affert de magistris filii regis summum ad vestigium geniti: *ὁ μὲν μαγείαν διδάσκει τὴν Ζωροάστρου* i. e. *θεῶν θεραπείαν* (cf. Cic. de div. I 91). immo testatur Porphyrius (de abstin. IV 16): — *ὥστε καὶ Δαρεῖον τὸν Ὑστάσπου ἐπιγράψαι τῷ μνήματι πρὸς τοῖς ἄλλοις ὅτι καὶ Μαγικῶν γένοιτο διδάσκαλος*. dubito utrum hoc testimonium spectet solam in Ahuramazdae religionem, cuius a Dareo cultae (cf. inscriptionis landatae § 54 ss. 63; Pauly-W. v. Dareios p. 2198_{38}) testes recentiores advocat Duncker, Gesch. d. Altert. IV 5_{39}; an in Persarum litteras a rege inventas (inscr. § 70, cf. Weissbach, Keilinschr. d. Achaemeniden 1911 p. LXI): quam ad condicionem probandam commemoro eam fabulam, qua Fust typorum mobilium inventor cessit in locum Fausti m a g i (cf. K. Fischer, Goethes Faust I 96).

4) cf. Th. Nöldeke, Aufs. z. pers. Gesch. 1887 p. 12.

patiantur dominationem Medorum.[1]) elucet Hdtum Magos vaticinandi peritos intellexisse gentem propriam.[2])

Ergo Sophocles si idem vocabulum usurpat (Oed. R. 387), maioris momenti est. is enim si non ipse primus eam vocem in usum communem introduxit gentis significatione neglecta, certe inter primos.[3]) prima enim specie nihil significatur quam vates dolosus, quae notio constat apud omnes fere posteros. ac tamen certa ratio mihi videtur adhibita: nempe tragicus respexit ad illam fabulam Hdteam III 61 ss.,[4])

1) III 65 cf. *ὑπὸ Μήδου ἀνδρὸς Μάγου*, c. 75, 126; etiam 79 et Ctesiae epit. c. 15: *τὰ Μαγοφόνια*. ita voces *Μάγος ἀνήρ* I 132, *ἄνδρες Μάγοι δύο ἀδελφεοί* III 61 conferendae sunt cum *ἀνὴρ Λυδός*, *ἄνδρες Πέρσαι* VII 22, 27 aliisque exemplis permultis. apud Homerum quidem hoc modo significatur etiam ordo sive dignitas: *ἰητρὸς ἀνήρ* Il. *Λ* 514, *βουληφόρος ἀνήρ* *Α* 144, cf. *σίνις ἀνήρ* in Roscheri lex. myth. v. Sinis 933_{51} ss.

2) comparari possunt Chaldaei, de quibus Cicero exhibet (de divin. I 2): „qua in natione (sc. Assyriorum) Chaldaei non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati —".

3) dubium enim mihi videtur, Clemens Alex. utrum ipsa Heracliti verba exscripserit, cum profert (Protrept. 22 p. 16_{24} St. = Diels, Vorsokr. 12 B 14 p. 64_{18} ss.): '*τίσι δὴ μαντεύεται Ἡράκλειτος ὁ Ἐφέσιος; νυκτιπόλοις μάγοις βάκχοις λήναις μύσταις· τούτοις ἀπειλεῖ τὰ μετὰ θάνατον, τούτοις μαντεύεται τὸ πῦρ. τὰ γὰρ νομιζόμενα κατ᾽ ἀνθρώπους μυστήρια ἀνερωστὶ μυεῦνται*', an e posterioris aetatis auctoritate hoc vocabulum arripuerit. nam quod Philostr. v. Apoll. I 2 narrat: *Ἐμπεδοκλῆς τε γὰρ καὶ Πυθαγόρας αὐτὸς καὶ Δημόκριτος ὁμιλήσαντες Μάγοις καὶ πολλὰ δαιμόνια εἰπόντες οὔπω ὑπήχθησαν τῇ τέχνῃ* (cf. Plin. nat. h. XXX 1_9), inania nimirum commenta sunt. qua in re iuvat fortasse oculos vertere in Plinii verba (nat. hist. XXX 8 = Diels, Vorsokr. 55 B 300_{13} p. 442_{34}): 'primus, quod exstet, ut equidem invenio, commentatus est de ea (scil. magia) Osthanes Xerxen regem Persarum bello, quod is Graeciae intulit, comitatus (Hdto *Ὀτάνης* dux est nobilissimus), ac velut semina artis portentosae sparsit obiter infecto quacumque commeaverat mundo. — hic maxime Osthanes ad rabiem, non aviditatem modo, scientiae eius Graecorum populos egit'. — Democriti studia magica posteriora videntur tragoedia Sophoclea, dum ne sint ficta (cf. Diels fr. 300, 2. 12. 13. Wellmann apud Pauly-W. s. Demokrit 1903 p. 138_{13}). Diogenes Laert. IX 34 ss. vel hoc prodit: *οὗτος* (scil. *Δημόκριτος*) *Μάγων τινῶν διήκουσε καὶ Χαλδαίων, Ξέρξου τοῦ βασιλέως τῷ πατρὶ αὐτοῦ ἐπιστάτας καταλιπόντος, ἡνίκα ἐξενίσθη παρ᾽ αὐτῷ, καθά φησι καὶ Ἡρόδοτος* (Valcken. ad Hdtum p. 305a ed. Wess. coni. *Μητρόδωρος*). — e tragicis autem Photius hoc tantum profert (lex. p. 240_{13}): *μάγους· τοὺς μαγγανεύοντας. καὶ μαγείαν οἱ τραγικοὶ λέγουσιν* (= fgm. adesp. 592 N). contra Python (saec. IV. fgm. I 5 p. 811: *τῶν βαρβάρων τινὲς Μάγοι*) et Sosiphanes (saec. III fgm. 1 p. 819: *Μάγοις ἐπῳδαῖς*) multo recentioris demum sunt aetatis. — adicio Heraclitum Ephesium l. l. ut mulieres Thracias voce *λῆναι*, ita optime potuisse significare etiam certam illam Medorum sectam.

4) v. 386 *ἱμείρεται* vocabulum est Ionicum, cf. Wittekind, sermo Soph. p. 44.

qua Magus imperii avidus fratrem, qui Smerdem necatum regis germanum se esse simulet, ut rerum potiatur, impellit: simillimae enim condiciones suppositae sunt huic Oed. Reg. loco. namque Oedipus coniuravisse inter se suspicatur Creontem et Tiresiam ad regem e finibus expellendum, ut ipsi regnum occuparent. quamquam causam pono non ita, utsi Sophocles totam scaenam sumpserit ex Hdti narratione; potius rem exposuerim hoc modo in Sophoclis fabula exornata effectam: Oedipus qui nullius culpae sibi conscius est, eos qui omnibus criminibus ipsum obruant, hanc fraudem, ut ipsi nocerent, excogitasse sibi persuadet; opprobrium enuntiant falsissimum pessimeque fictum. ac primum quidem solus Tiresias regi apparet ad fallendum instructus ob contumelias obscure dictas.[1]) sed ubi vates exclamavit (v. 376 s.): *οὐ γάρ σε μοῖρα πρός γ' ἐμοῦ πεσεῖν, ἐπεὶ ἱκανὸς Ἀπόλλων* —, repente regis animum subit cogitatio alterum esse, cuius regnum subverti intersit, Creontem: nonne is totam rem molitus est, qui Apollinis responsum attulit et vatem arcessendum curavit (v. 288)? itaque Creon et Tiresias, cum uterque idem convicium enuntient, societatem inierint necesse est. quid vero aliud petunt nisi ut regem turpitudine obrutum imperio expellant, imperium ipsi sibi vindicent? quare poeta invasit in condiciones Smerdis, qui se simulabat, fabula oblatas. is enim qui regi proximus (*μελεδωνὸς τῶν οἰκίων* III 61) summam fidem debet praestare, novarum rerum studiosus ipse regnum appetit. quod ut conficiat, parat adiutorem, qui vulgo dolum configat. is est ille *Μάγος*.

Ergo tragicus repetivit huius fabulae memoriam; et inseruit, ut similitudinem significaret, unam istam vocem, qua vinclum nexit peritis satis lucidum: vates sane simillimus est illius Magi; et *Μάγος* sibi vult augurem fallacissimum, qui munere suo in damnum regis sit abusus.[2])

Ut autem Magi nomen in tantam despicientiam, quanta a Sophocle adhibetur (*Μάγος τοιόσδε μηχανορράφος* v. 387), delaberetur, effectum est illa fabula Hdtea: posteri hoc itinere progressi sunt.[3]) ergo

1) id argumentum est Homericum: sic Agamemno insimulat Calchantem, quod ad ipsius personam offendendam atque imminuendam enuntiaverit adversa (Il. A 105 ss.).

2) etiam in eo utraque fabula consentit, quod Oedipus insimulatur caedis, Cambyses sibi conscius est fratris necati: caedes advocatur ad res novandas. contra quod Oedipus Tiresiam suspicatur a Creonte pecunia esse corruptum (v. 388, cf. 380), id debetur argumento Antigonae tragoediae (v. 294 ss. 322, 1055: *τὸ μαντικὸν γὰρ πᾶν φιλάργυρον γένος*).

3) proximus erat Euripides, qui cum Helena subito e conspectu sublata esset, servum Phrygium fecit deliberantem [Orest. (a. 409) 1494]: *ἃ δ' ἐκ*

Sophoclem proprium locum tenere intellegimus, cum minus velit comprehendere Tiresiae Magiam aut deorum invocationem, quam officii pravitatem, qua fide laesa petit imperium.

Quo vocis *Μάγος* usu inspecto iam transimus in singula verba ex Hdti historiis sumpta; quamquam hoc historici vestigium maioris momenti est ideo, quod aequum utriusque loci fundamentum dedit ansam. argumentum quidem, de quo egimus, quin ab ipso Sophocle fabulae sit insertum, iam a principio vix potest addubitari, immo probatur ab Ad. Müller.[1]) atqui accurate discernere difficile est, utrum tragicus, postquam sua ipse mente rem excogitaverit, in simillimam Hdti narrationem inciderit; an cum historiam in animo haberet, exemplum praesto fuerit huic scaenae fingendae.[2]) summa vero est, quod inter scriptorem utrumque constituitur vinclum artissimum atque ita ut tragicus posterior recognoverit historicum: et hanc rationem demonstrasse mihi videor.

B. DE VOCE *ΦΟΙΝΙΚΗΙΑ—ΓΡΑΜΜΑΤΑ.*

Maiore fiducia iudico de voce *φοινικήια—γράμματα.* ea enim significatio, quae illa aetate tribus modo litterarum locis invenitur, nempe apud Hdtum V 58, Soph. fr. 471[3]), in diris Teiorum[4]), satis insignis ac notanda est, utaliquam inter Soph. et Hdtum fuisse suspicemur rationem. contra considerandum est a Graecis litterarum inventores

θαλάμων ἐγένετο διαπρὸ δωμάτων ἄφαντος — — ἤτοι φαρμάκοισιν ἢ Μάγων τέχναις ἢ θεῶν κλοπαῖς: ubi significatio paulo alteram in partem est versa. scholiasta enim rem exponit sic: *μαγεῖαι δὲ τὰ δι' ἐπῳδῶν* (sc. *γιγνόμενα κακουργήματα*); cuius consuetudinis testis adest Hdtus, qui affert (1_{132} *ἐν ταῖς θυσίαις*): *Μάγος ἀνὴρ — ἐπαείδει θεογονίην* et (VII 230): *κατείδοντες βοῇσι οἱ Μάγοι — —* hanc in sacris faciendis auctoritatem commemorat etiam Plato (qui fertur), cum interpretatur Magiam *θεῶν θεραπείαν* (Alcib. I 121 *E*). in Axiocho 371 A exhibetur tantum: *Γωβρύης ἀνὴρ Μάγος* (vide supra p. 106_1). contra in Republ. p. 572*E* Plato collocat *τοὺς δεινοὺς Μάγους καὶ τυραννοποιούς*: nonne spectat in significationem Sophocleam sive Hdteam? sed hoc aliquanto temporis spatio est remotum.

1) aesthet. Kommentar zu d. Trag. d. Soph. 1904 p. 77.

2) haec disceptatio pendet ex humanae mentis condicionibus. ac profecto omnibus fere in causis utraque pars est respicienda: ipse enim auctor posterior rarissime certas rationes reddere potest.

3) apud Hesychium: *Φοινικίοις γράμμασι Σοφοκλῆς Ποιμέσιν. ἐπεὶ δοκεῖ Κάδμος αὐτὰ ἐκ Φοινίκης κεκομικέναι.*

4) IGA 497 B 35 ss. = CIG 3044, quem titulum pertinere ad ol. 76. 77 = 476/2 a. Chr. docuit Kirchhoff, Studien [4] 1887 p. 13—5: ὃς ἂν τά(ς) *στήλας ἐν ᾗσιν ἠπαρὴ γέγραπται, ἢ κατάξει ἢ φοινικήια ἐκκόψει, κεῖνον ἀπόλλυσθαι καὶ αὐτὸν καὶ γένος.*

praeter alios[1]) habitum esse Cadmum; is autem ex Phoenice ortus[2]) apportasse dicitur litteras Phoenicias.[3]) hoc profecto sequitur cum Hdto coniungi posse eos scriptores, qui Phoeniciam originem artis, non invectorem Cadmum tradant.[4]) immo crederes vocabulum a Sophocle adhibitum nullius esse momenti: cui opinioni obstat ipsum Hesychi testimonium, qui unum auctorem vocis sciat tragicum. quam auctoritatem recte ut aestimemus, his fortasse cogitationibus adiuvamur. namque *φοινικήια* revera apparet esse glossam Ionicam, quae probatur verbis Hdti[5]) Photique (simillimis Hesychi) et ipsa inscriptione Teiorum Ionicorum. quod vero Hdtus nude ponit: *χρεώμενοι ἐφάτισαν—Φοινικήια κεκλῆσθαι*, itemque exhibetur in titulo: *φοινικήια ἐκκόψαι*, vox indicatur eodem sensu usurpata quo *γράμματα* neque opposita alius generis litteris. *φοινικήια* igitur intelleguntur signa a Phoenicibus tradita, ut res significetur ex origine nec supplendum sit *γράμματα*.[6]) eademque ratione intellegimus glossam

1) cf. Szanto apud Pauly-W. s. Alphabet (1894) p. 1612 20 ss.; Larfeld, Hb. d. gr. Epigr. I 1907 p. 331.

2) qua quidem de origine hic diligenter agere omitto.

3) sic disserit Tacitus (Annal. 11_{14}): 'fama est Cadmum classe Phoenicum vectum rudibus adhuc Graecorum populis artis eius auctorem fuisse'.

4) quod negat F. A. Wolf (prolegg. ad Hom. p. 54_{16}) Hesychi verbis insequentibus nisus: *Φοινικκία· Λυδοὶ καὶ Ἴωνες τὰ γράμματα ἀπὸ Φοίνικός τινος (ἔλαβον)* [*Φοινικήια* latere, unde aberravit glossa 689 comprobat M. Schmidt Hesychi editor], atqui Phoenicem neglexit Agenoris filium (cf. Photi lex. s. *Φοινικήια*) atque Cadmi fratrem (cf. Roscheri lex. myth. s. vv. Kadmos et Phoinix p. 2401).

5) *Ἴωνες, οἳ παραλαβόντες διδαχῇ παρὰ τῶν Φοινίκων τὰ γράμματα* — — —.

6) id quod vult Diels (Elementum 1899 p. 58_3 et Neue Jb. 25 1910 p. 10_1) cum dicit: 'der jonische Name scheint anzudeuten, daß man dort auch andere als die übliche Schrift kannte'. Hdtus scilicet, tum temporis quantum poterat diiudicari, eis litteris apud Graecos testatur nullas antecessisse, nullas successisse, cum *Καδμήια γράμματα* Phoenicum ab Ionibus recepta paulumque in ipsorum usum mutata appellentur *φοινικήια*. quare *Καδμήια γράμματα* ab Hdto opponuntur non *φοινικίοις*, sed *τοῖσι Ἰωνικοῖσι*. quid vero sibi vult istud tituli vocabulum, quod pro dirarum rationibus in aetatem spectat vetustiorem, cum ipsae litterae nihil proprii habeant (ut in sermone vernaculo antiquitus servatum est „buchstabe"), nisi prorsus idem significat quod *γράμματα*? exemplum igitur significationis ex origine sumptae proferendum erat a Dielsio non „das Bayrische (sc. Bier)", potius „der Tabak" nomen ortum ex Tobago insula sive Tabasco provincia, vel „die Nogajka" scutica dicta ab eis, qui appellantur Nogajtataren. ita Wilamowitz, cum exponit Soph. Euryp. (Oxyrh. Pap. IX 1912 p. 97) fr. 5 III 11: *πολλὴ δὲ σινδὼν πολλὰ δ' Ἰστριανίδων ὕφη γυναικῶν*, exhibet, ut poetae libertatem excuset (N. Jb. 29 1912 p. 451): '— weil die Athener ein getüpfeltes Zeug *ἰστριανά* nannten und an die Herkunft des Wortes ebensowenig dachten wie wir bei Damast oder Kaliko' (a Damasco et Calcutta urbibus).

Hesychi e Sophoclis Pastoribus: *φοινικίοις· γράμμασι*, nec coniungimus frustulum tragicum cum glossographi interpretatione, id quod probatur verbis insequentibus, quibus non proprii generis significentur litterae, sed omnibus notissimae.

Nequaquam obstat scholion ad Eur. Or. 432, ubi editores scribunt: *Παλαμήδης — τὰ φοινίκια διδάξας γράμματα αὐτοὺς ἴσην τε καὶ ἀνεπίληπτον τὴν διανομὴν* (sc. *τοῦ σίτου*) *ἐν τούτοις ἐπραγματεύσατο*, cum codd. habeant tantum: — *τὰ φοινίκια διδάξας ἦγεν αὐτοῖς ἴσην* — (T B) sive *τὰ φοιν. διδ. ἴσην αὐτοῖς* — (M A).[1]) quamquam mirum sane est, quod ista vox, quae inter Atticos et tragicos propria fuisse videtur Sophoclis, hac quoque in fama sine dubio petita ex aliqua tragoedia usurpatur. sed quoniam Euripidis Palamedem certe non esse suppositam elucet e fgm. 578[2]), quid si huius argumenti fontem fuisse censemus Sophoclem? haud profecto potest contradici a scholiasta sedem artium a Palamede inventarum afferri Aulida, cum Eustathius, qui exhibuerit Palamedis ipsius Sophocleae versus (= fgm. 438), prodat (ad Il. B 308 p. 228_6): *Παλαμήδους ἐπινοησαμένου κυβείαν καὶ πεττείαν ἐν Ἰλίῳ εἰς παραμύθιον λιμοῦ κατασχόντος τὴν στρατιὰν λίθος ἐκεῖ ἐδείκνυτο, καθὰ Πολέμων ἱστορεῖ, ἐφ' οὗ ἐπέσσευον.* neque enim una modo tragoedia Sophocles hanc fabulam tractavit; quare, cum Eustathius advocaverit *δρᾶμα ὁμώνυμον τῷ εὑρετῇ Παλαμήδῃ*[3]), ubi revera Ilion exhibetur v. 3: *φλοίσβου μετὰ κόπον* (Salamas., *κοπὴν* codd.) *καθημένοις* i. e. post proelii fatigationem sive molestiam aut caedem, contra huius scholii exemplar, quo inducitur Nauplius res repetens a filii interfectoribus, accipiendum est *Ναύπλιος καταπλέων*[4]); et quoniam Ilii commemoratio antiquioribus deberi temporibus, Aulidis a Sophocle demum ficta esse videtur, Palamedem Sophocleam censeam Nauplio vetustiorem, certe non eiusdem trilogiae vinclo coniunctam. sed exstant alia quoque argumenta, quibus illud scholion repetamus e tragoedia ea Sophoclis.[5]) nam-

1) *γράμματα* igitur vocabulum falso suppletum est.

2) Aeschylus litterarum inventionem adscripserat Prometheo (Prom. 476 cf. schol. Dionys. Thr. p. 183_{12} Hilg.).

3) quamquam haud iure hoc in dubium vocatum est a Brunckio et Dindorfio (ad fr. 380), quod nihil censent tam apertum quam hos versus ad eandem Nauplii *ῥῆσιν* pertinere, cuius pars ab Achille Tatio servata profertur fr. 379 (= 399 N.) *Ναυπλίου καταπλέοντος*.

4) qua de tragoedia Sophoclea disserit Nauck TGF p. 223.

5) quod quidem ipsa patris ultio affertur ad finem perducta, minime obstat, quominus *Ναύπλιον καταπλέοντα*, non *πυρκαῇ* (quod drama illustratur Hyg. f. 116) intellegamus; id facillime adsertum est ex memoria mythographi.

que[1]) cum scholio Or. 432 arte cohaerent ea, quae profert Philostr. Her. X 2. is enim[2]) exhibet Aulida et X 1 dicit: *πρὸ γὰρ δὴ Παλαμήδους — οὐδὲ νόμισμα ἦν οὐδὲ σταθμὰ καὶ μέτρα οὐδὲ ἀριθμοί*, ut apud Soph. Nauplii fr. 399: *οὗτος δ' ἐφεῦρε — σταθμῶν τ' ἀριθμῶν καὶ μέτρων εὑρήματα.*[3]) notam autem vere Sophocleam praebet sententia (X 3) *ἐγὼ γράμματα οὐχ εὗρον — θεοὶ δὲ τὰ τοιαῦτα δι' ἀνδρῶν*, ut in illo Palam. fgmo: *οὐ λιμὸν οὗτος τόνδ' ἀπῶσε* (*τῶνδ' ἔπαυσε* coni. Scal. et Herw.) *σὺν θεῷ εἰπεῖν.*[4])

Qua vero de causa Soph. locum mutarit, intellegitur ex ea fabulae condicione, qua Oeax Nauplio patri per mare misit Palamedis fratris fata remis insculpta (cf. Nauplii fr. 397 et 405): quod vanum erat, nisi ante profectionem Aulide susceptam litterae erant cognitae.[5])

1) ut Eustathii scholion disiungi non potest ab adnotatione ad Od. α 107 p. 1396 s. (quae ad verba fere concinit cum loco superiore), ad Il. ψ 88 p. 1289_{50}, schol. Plat. Lys. 206e, quae omnia profecta sunt ex libro Suetonii *τοῦ τὰ περὶ Ἑλληνικῆς παιδιᾶς γράψαντος* (cf. Suetonium ed. Reiffersch. p. 322—8, 462; Fresenium, de *λέξεων* Aristoph. et. Suet. excerptis Byz. 1875 p. 88).

2) ut aliis quoque locis auctorem sequitur Sophoclem, velut Her. XI 6 coll. Aiac. 466, vit. Apoll. III 20 (nescio an Philostr. patris), quod supra exposuimus p. 88.

3) multum differt Eurip. Palam. fr. 578.

4) minoris igitur est, quod XI p. 718 mentio fit etiam Palamedis Euripideae. contra X 11 ipsa Nauplii ultio commemoratur ut in schol. Or. 432. diversi ergo fontes confluxerunt.

5) fieri sane potuit, ut Euripides quoque Palamede, qua ipsa illae *πλάται* exstabant (cf. schol. Aristoph. Thesm. 771) et ex qua profecta esse censetur Hygini fab. 105, appellaret Aulida, etsi eam inter tragoediam a. 415 actam et Sophocleas Palamedem Naupliumque Advectum quae ratio constituenda sit, nescimus. — huc dubito num spectent verba Suidae Photiique (s. *φοινικήια γράμματα*): — *τούτοις δὲ ἀντιλέγουσιν Κρῆτες, ὡς εὑρέθη ἀπὸ τοῦ γράφειν ἐν φοινίκων πετάλοις* (cf. schol. Dionys. Thrac. p. 184_{23} 192_{3}: *ἐν πετάλοις φοινικείοις*). — praeterea haud neclegendum est Palamedem prorsus alia nece atque in fabula posteriore, quae obviam nobis fit in tragoediis et apud mythographos, diem supremum obiisse in Cypriis. Pausanias enim tradit (X 31_{2} = Cypr. fr. 18 Ki.): *Παλαμήδην ἀποπνιγῆναι προελθόντα ἐπὶ ἰχθύων θήραν, Διομήδην δὲ τὸν ἀποκτείναντα εἶναι καὶ Ὀδυσσέα.* contra fama vulgaris mirum quantum concinit cum illis insidiis, quibus Pausanias Lacedaemoniorum rex convincitur proditionis per nuntios cum hoste initae (Thucyd. I 132 s.) et quibus a sacerdotibus Delphicis Aesopus furti insimulatur (cf. Pauly-W. s. Fabel 1909 p. 1708; cuius fraudis summam invenimus apud Hdtum II 134). — qua in re iuvat fortasse exhibere alia argumenta cum veris illius aetatis factis congruentia. nam cum Philoct. v. 1330 s.: *ἕστ' ἂν οὗτος ἥλιος ταύτῃ μὲν αἴρῃ, τῇδε δ' αὖ δύνῃ πάλιν*, compara Aristidis responsum Mardoni legatis datum (Plut. Arist. 10): *τὸν ἥλιον δείξας· ἄχρις ἂν οὗτος ταύτην πορεύηται τὴν*

idemque constituimus de Pastorum fabula, cui si *φοινίκια* supponuntur iam inventa, cum scaena sita sit in primo Graecorum appulsu, Aulideo otio debentur. unde num ista *φοινίκια* revocanda sint ad aliquam Graecorum epistulam, decernere non audeo. accedit quod litterarum inventio disiungi non potest a ludis eidem Palamedi attributis. ludi autem arte cohaerent cum fame, qua Achaei opprimuntur, in altera quidem traditionis parte. nam in Soph. Palam.[1]) non *λιμοῦ* sed *ἀργίας ἄκος* comparant ludi; contra *λιμός* sanatur ut in Cypriis[2]) ab Oenotropis Delo arcessitis. Eustathius quidem antequam hos Sophoclis versus posuit, profitetur (ad Il. B 308 p. 228): *Παλαμήδους ἐπινοησαμένου κυβείαν καὶ πεττείαν ἐν Ἰλίῳ εἰς παραμύθιον λιμοῦ κατασχόντος τὴν στρατιάν.* haud vero recte Suetonius eius auctor utramque rem ibi conclusit, sed pellectus est illo *ἡρωικῷ στίχῳ παλαιῷ γραμμάτων τριάκοντα ἓξ πρὸς τοὺς τόπους οὓς ἔχει τὸ Παλαμήδειον ἀβάκιον· εὗρε σοφὸς λιμοῦ με παραιφασίην Παλαμήδης.*[3]) is profecto versus non antiquae famae, qua arcessuntur Oenotropi, debetur, sed comparandus est cum *τάβλα* et *ταυλίζειν* vocabulis vere latinis (ibidem).[4]) contra Sophoclem si

πορείαν, Ἀθηναῖοι πολεμήσουσι Πέρσαις. Themistocles autem ut supplex aggressus ad Molossorum regiam Admeti filio arrepto consedit in foco (Thuc. I 136), ita Telephus sibi conciliat Teuthrantem Mysiae regem (quamquam de eius argumenti prioritate disceptatur inter Sophoclem et Euripidem). atque secundum Themistoclis mortem voluntariam (Thuc. I 138) Soph. affert: *ἐμοὶ δὲ λῷστον αἷμα ταύρειον πιεῖν*, fr. 663 Helenae verba servata ab schol. ad Aristoph. Equit. 84, qui addit: *τινὲς δέ φασιν ὅτι Σοφοκλῆς περὶ Θεμιστοκλέους τοῦτό φησι* (etsi complura huius argumenti exempla traduntur). ex historiarum aevo priore exhibeo solos illos tyrannorum exactorum honores Harmodio Aristogitonique tributos, quos Kaibel (comment. ad Soph. El. v. 982 et 985 p. 222, cf. v. 1007 s. p. 226) significari suspicatur verbis Electrae caedem moliturae. temporibus paulo recentioribus scholiasta adscripsit Trachiniarum initium, cum dicit (ad Trach. 1): *ὁ τρόπος ἀναχρονισμός· μεταγενέστερος γὰρ ὁ Σόλων.*

1) fr. 438:

οὐ λιμὸν οὗτος τόνδ' ἀπῶσε (coni. *τῶνδ' ἔπαυσε*), *σὺν θεῷ*
εἰπεῖν, χρόνου τε διατριβὰς σοφωτάτας
ἐφηῦρε φλοίσβου μετὰ κοπὴν καθημένοις,
πεσσοὺς κύβους τε τερπνὸν ἀργίας ἄκος;

2) fr. 17 Kinkel; cf. Welcker, Zsch. f. d. Altertumswsch. v. Zimmermann I 1834 p. 56.

3) Etymol. M., Orus apud Brunckium ad Aristoph. Eccles. 987, Orion p. 127.

4) praeterea cogitari sane potest vocem *ἐν Ἰλίῳ* per errorem ibi esse inculcatam tanquam explicationem *ἐκεῖ* vocabuli linea subsequente positi. in fonte enim scholii, quod probat idem Eustathius ad Od. α 107, indicatus est a Polemone lapis Troiae collocatus, in quo Graeci exercebant ludos antea a Palamede excogitatos.

scaenam induxit Aulideam, defecerunt virgines Deliae; quare, quibus famem deminueret in summo Argivorum discrimine, Palamedis finxit inventa. quam ad fictionem tragicus perductus est etiam Lydorum historia ab Hdto I 94 narrata. illi enim eadem ratione *σιτοδείης ἄκος* invenerunt *τὰς παιγνίας — πλὴν πεσσῶν* ut historicus addidit, ne confligeret cum firmissima aequalium fide, qua significabatur Palamedes. contra eadem causa affirmatur quam certissime Hdtum tum temporis nondum cognitam habuisse eam famam qua cibi inopiae Graecorum adnectuntur ludi inventi,[1]) et quam adscripsimus Nauplio Sophocleae tragoediae nescio an historico mortuo demum doctae.

Sed valde aberravimus a proposito, quo *τὰ φοινίκια* contemplati sumus. demonstrasse autem nobis videmur illam glossam verbi *γράμματα* loco usurpatam propriam inter Atticos fuisse Sophoclis. quod quidem posteriores scriptores et lexicographi per abusionem contrahunt *φοινίκεια γράμματα*, non mirabitur is, qui quoties inveniatur: *τὰ γράμματα κεκλῆσθαι φοινίκεια*, recordetur. immo notandum est apud illos quoque interdum separari *τὰ φοινίκεια*.[2]) contra nisi illam coniecturam de *φοινίκεια* glossa prolatam accipimus, nequaquam possunt intellegi quae aliae vocis interpretationes traditae sunt. etenim Scamon Mytilenaeus (aet. incert., *Εὑρημάτων* l. II.) eam derivat *ἀπὸ Φοινίκης τῆς Ἀκταίωνος*.[3]) addit schol. Dion. Thr. p. 182_{27}, 186_{1}, 191_{33}: *τινὲς δὲ φοινίκεια ἐκάλεσαν τὰ γράμματα οἱονεὶ φωνίκεια παρὰ τὸ τῆς φωνῆς εἰκόνα εἶναι τὰ γράμματα*: immo ad *φωνίκεια* non est supplendum *γράμματα*. — iam dicendum est de variis vocabuli formis: *φοινίκεια*, *-ικήια*, *-ίκια*. et *φοινικήια* quidem Ionicae dialecti est pro *-ίκεια*.[4]) contra inter *φοινίκεια* et *-ίκια* Stephanus[5]) construere conatur diversitatem eam, ut qui ab terrae nomine derivarint, *φοινίκια γρ.* in prosa certe oratione dicere debuisse contendat, quare 'videndum ne *φοινικήια* Hdto illatum sit ab librariis, fortasse propter *Καδμήια γρ.*': nec vero duae Hesychi glossae ab eo allatae vigent et neglexit illas diras Teiorum. potius Soph.[6])

1) litterarum nimirum (ad rem frumentariam dispertiendam usurpatarum) et ludorum inventio hac condicione in unum concluditur.

2) velut apud Hesych. *φοινίκκια*, quod intellegendum est *φοινικήια*.

3) *διὸ καὶ φοινικήια* (*καλέσαι*) *τὰ γράμματα τὸν Ἀκταίωνα βουλόμενον τιμῆς ἀπονεῖμαι τῇ θυγατρί* (Hesych. Suid. Phot. s. v. *φοινικήια γράμματα*, schol. Dion. Thrac. p. 184_{25}).

4) quod profert cod. Voss. Etym. M. p. 797_{27}.

5) Thes. l. gr. v. *Φοῖνιξ* p. 985 B.

6) nam in illis scriptorum allatorum locis (velut Diod. III 67, schol. Dion. Thr. p. 182_{27}) plerumque scriptura fluctuat inter *φοινίκεια* (sive *-ικήια*) et *-ίκια*, etsi pluris est *-ίκεια*.

ad *φοινικίοις* formam adductus est metri necessitate, ne duo spondei coniungerentur (*Φοίνῑκες* habet i longam).[1])

Quam vero ob causam Sophocles usurparit istam glossam Ionicam, cognoscitur e Pastorum rationibus, cuius tragoediae personae stabant a partibus Troianorum.[2]) ita Pastorum frg. 477 (et Androm. 121, Eurip. Scyr. 686) sumitur a Persis vox *παρασάγγης ἐπὶ τοῦ ἀγγέλου* i. e. pro nuntio; 472 Phrygie loquitur chorus *ἰὼ βαλλήν* i. e. *ἰὼ βασιλεῦ*, 470 *Βερέκυντα βρόμον· Φρύγιον αὐλόν* (Aeschyl. Niob. 155 *Βερέκυντα χῶρον*), 476 (etiam Captiv. 53 et Triptol. 560) *Ἴαννα*[3]); 475 (et 983) Achaei vocantur *Γραικοί* (*Γραῖκες*) sive *Ῥαικοί*, 474 nauta *βαρίβας* (quod verbum ducitur a voce Aegyptia *βᾶρις*, quae apud Hdtum est II 41, 96, 179); 478 pastores acclamant *ψό*[4]): ʿleise Merkzeichen des Landes und des Standes.' (Welcker). quomodo tragicus etiam illam peregrinae dialecti glossam arcessivit, ut fabulam proprio exornaret colore. ac dummodo ista vox putetur haud trita, auctorem crediderim eum, qui ipse Iade usus tragico erat familiarissimus. Sophoclem vero tales exterarum gentium ipsa fabula oblatarum proprietates, ut scaenam ad verum statum exornaret, haud aspernatum esse elucet e schol. Eurip. Phoen. 301: *εἰ γὰρ καὶ Ἑλληνικῶς ἐλάλουν αἱ Φοίνισσαι, ἀλλ' οὖν γε τὴν πάτριον ἔσωζον ἀπήχησιν τῆς φωνῆς, ὡς Σοφοκλῆς ἐν Ἑλένης Ἀπαιτήσει* (= fr. 178)· *καὶ γὰρ χαρακτὴρ αὐτὸς ἐν γλώσσῃ τί με | παρηγορεῖ*

1) adhuc hac in quaestione mentio non est facta epistulae, quam L. Septimius praemisit Dictys Cretensis ephemeridi belli Troiani, ubi exstat: ʿDictys — conscripsit litteris Punicis, quae tum Cadmo et Agenore auctoribus per Graeciam frequentabantur. — libros — commutatos litteris Atticis, nam oratio Graeca fuerat —' (exemplar exstitisse revera graece conscriptum nunc iam constat inter omnes, cf. Roßbach apud Pauly-W. s. Diktys 1905 p. 590_{39} ss. et G. Finsler, Homer in der Neuzeit — 1912 p. 3). compara eiusdem libri prologum: ʿDictys — peritus vocis ac litterarum Phoenicum, quae a Cadmo in Achaiam fuerant delatae. — Phoeniceis litteris (= *φοινικήια γράμματα*). — Nero iussit in Graecum sermonem ista transferri' (ubi repugnari videtur verbis prioribus, quae difficultas solvitur 5_{17}).

2) cf. Welcker, griech. Trag. I 113 ss.

3) Hesych. v. *Ἴαννα· ἐν μὲν Αἰχμαλώτησι Σοφοκλέους ἀπέδοσαν Ἑλληνική· ἐπεὶ Ἴαννας τοὺς Ἕλληνας λέγουσιν. ἐν δὲ Τριπτολέμῳ ἐπὶ γυναικός, ὡς καὶ ἐν Ποιμέσι. τινὲς δὲ τὴν Ἑλένην. ἐπιεικῶς δὲ οἱ βάρβαροι τοὺς Ἕλληνας Ἴωνας λέγουσιν. καὶ ἐν Τρωίλῳ βάρβαρον θρήνημα τὸ ἰαί. ἢ ὄνομα γυναικός.*

4) Anecd. Oxon. I 118: *τὸ γὰρ ψό παρὰ τῷ Σοφ. ποιμενικὸν ἐπίφθεγμα* cf. Aesch. Theor. 82; etiam Ichneut. satyr. fr. col. VII 12: *ψ ψ*, cum adnot. Wilamowitzii N. Jb. 29 p. 469_2.

Λάκωνος ὀσμᾶσθαι λόγου[1]); elucet etiam ex aequis Andromedae et Troili tragoediarum condicionibus.[2]) quas res alienas ex historici populorum peregrinorum peritissimi auctoritate petitas esse licet opinemur. — ad extremum exhibeo Thamyram, qua tragoedia (cuius argumentum fuit Thamyrae certamen cum Musis) quod varia artis musicae instrumenta vel barbarorum appellata sunt, mirum sane non est.[3]) talia vero tragicus non debet Hdto[4]) iam ob temporum rationes, cum ea tragoedia, in qua ipse citharam pulsavit, Sophocli tribuenda sit admodum iuveni.

C. DE TOTIUS SERMONIS INDOLE ET SIMILITUDINE.

Ita aggressi sumus iam ad singulorum vocabulorum imitationes. ea autem in provincia contemplanda lectores delego ad dissertationem ab Henrico Wittekind a. 1895 confectam et inscriptam: 'Sermo So-

1) huius dramatis, quod credit unum idemque atque *'Ελένης Γάμον* satyricum, Hartung (Soph. Werke, griech. u. deutsch VIII 1851 p. 62) adicit fr. 185 = 663 N²: *ἐμοὶ δὲ λῷστον αἷμα ταύρειον πιεῖν, καὶ μή τι πλείους τῶνδ' ἔχειν δυσφημίας* (vide supra p. 112_0) 'hier erkennt man Nachahmung des Ausländischen: denn bekanntlich ist der letzte aegyptische König dieses Todes gestorben. Von derselben Art ist, daß der Dichter die Leibwächter *ὀροσάγγας* (= 184 N²) genannt hatte'.

2) ex Andromeda enim servata sunt: fr. 122 *ἡμιουτὸν κούρειον ἠρέθη πόλει· νόμος γάρ ἐστι τοῖς βαρβάροις θυηπολεῖν βρότειον ἀρχῆθεν γέρος τῷ Κρόνῳ* (qui versus a Scaligero et O. Hense diversis emendationibus tentati sunt); tum fr. 131: *σάρητον· βαρβαρικὸν χιτῶνα, — ὁ καὶ σάραπις, εἶδος χιτῶνος. — σάραπις· Περσικὸς χιτὼν μεσόλευκος ὡς Κτησίας*, affero etiam Athen. XI p. 482d: *ὅτι δὲ καὶ πλοῖον ἡ κύμβη, Σοφ. ἐν Ἀνδρ. φησίν· ἵπποισιν ἢ κύμβαισι ναυστολεῖς χθόνα*; (= fr. 123). Troili autem fragmenta exhibeo haec: 574 *ἰαί*, quod *θρήνημα βάρβαρον* profert Hesychius s. v. *Ἴαννα* (supra allatus); 577 *ὀροσάγγαι· οἱ σωματοφύλακες, ὡς Ἑλένης Γάμῳ καὶ Τρωίλῳ* (qua voce Persica utitur Hdtus VIII 85); deinde Pollux X 165 tradit: *ξίφους δὲ ὄνομα ἔοικεν εἶναι βαρβαρικὸν ἡ σκάλμη, Σοφοκλέους εἰπόντος ἐν Τρωίλῳ* (fr. 563)· *σκάλμῃ γὰρ ὄρχεις βασιλὶς ἐκτέμνουσ' ἐμούς*: intellegimus adulescentem more barbaro castratum, cuius rei exemplum affero verba Hdti III 48: *Κερκυραίων παῖδας — Περίανδρος ὁ Κυψέλου ἐς Σάρδις ἀπέπεμψε παρὰ Ἀλυάττεα ἐπ' ἐκτομῇ*.

3) ita Lydium vocabulum *μάγαδις* (cf. Ion. 23 p. 736 N.: *Λυδός τε μάγαδις αὐλὸς ἡγείσθω βοῆς*) affertur fr. 217: *πηκταὶ δὲ λύραι καὶ μαγάδιδες | τά τ' ἐν Ἕλλησι ξόαν' ἡδυμελῆ*. aliud instrumentum traditur ab Athenaeo IV p. 183 E: *μνημονεύει δὲ τοῦ τριγώνου τούτου καὶ Σοφοκλῆς ἐν μὲν Μυσοῖς* (fr. 378) *οὕτως· πολὺς δὲ Φρὺξ τρίγωνος ἀντίσπαστά τε Λυδῆς ἐφυμνεῖ πηκτίδος συγχορδία. καὶ ἐν Θαμύρᾳ* (fr. 218, ut Aesch. Thalamop. 78_2; Diog. Ath. 1_9 p. 777 N² coniungit *τριγώνους* et *μάγαδιν*. ceteroquin modus Phrygius arte musica erat tritus). Thamyrae Welcker probabiliter adscripsit etiam fr. 765: *οὐ νάβλα κωκυτοῖσιν, οὐ λύρα φίλα*: genus quoddam fidium vel citharae.

4) qui quidem I 17 appellat *πηκτίδας*.

phocleus quatenus cum scriptoribus Ionicis congruat, differat ab Atticis'. is enim primum collocat (p. 6) ea vocabula, quae cum pertineant ad barbarae originis instrumenta, facillime existimantur sumptae ab Hdto amico *πολυτρόπῳ*. quae ratio valde defenditur, si illae voces apud neminem priorum obviam fiunt neque cum certe peregrinae sint, ponendae sunt per se cognitae. sic Wittekind ex Hdto hausta esse opinatur haec vocabula externa[1]): *ἀκινάκης* sive *κινάκης* i. e. gladiolus Persicus, qui apud Hdtum saepius legitur, Soph. admisit fr. 958; *σινδών*, quod est aut Indicum vocabulum aut Aegyptium pro linteo, exstat apud Hdtum I 200 II 86, 95 VII 181, apud Soph. Antig. 1222. — adici possunt ea vocabula, quae quamquam in ipsis Hdti libris non inveniuntur, tamen cum spectent in gentes externas, eius redolent auctoritatem: tamquam vestigia ergo sunt cotidianae consuetudinis. exempla affero Chrys. 668: *τὰς Ἑκαταίας μαγίδας δόρπων*[2]); fr. 962 *λιτροσκόπος* glossa Sicilica est.[3]) eandem in Siciliam ducimur Oed. Col. 312: *Αἰτναίας ἐπὶ πώλου βεβῶσαν* (scil. *Ἰσμήνην*), Aquant. 611: *ὄχοις Ἀκεσταίοισιν ἐμβεβὼς πόδα* i. e. *Σικελικοῖς ὀχήμασιν*.[4]) has ad res equestres pertinent etiam *τέθριπποι Λιβύων*[5]), de quibus paulo accuratius disserendum est, quamquam talibus de vocabulis ad orbis terrarum cognitionem spectantibus certi quicquam vix potest effici.

Namque tragicus illius equorum curriculi, quod paedagogum facit coram Clytaemestra ad nuntium Orestis mortui comprobandum fingentem, inter decem rivales appellat *δύο Λίβυας ζυγωτῶν ἁρμάτων ἐπιστάτας* (El. 702). quare quamvis Athenienses *ἵππων τρέφειν τέθριππον* satis superque adamarint[6]), tamen ipsum Hdtum quadrigas

1) praeter ea, quae iam supra attulimus e Pastoribus, Hel. Nuptiis, Andromeda, Troilo.

2) quo spectat Helladius apud Photium bibl. p. 533 b 10: *ἡ μαγὶς ἀντὶ τῆς τραπέζης Αἰγύπτιον δόξει καὶ παντελῶς ἔκθεσμον· Ἐπίχαρμος δὲ ὁ Δωριεὺς καὶ Κερκίδας ὁ μελοποιὸς ἐπὶ τῆς αὐτῆς διανοίας ἐχρήσαντο τῇ λέξει, καὶ μὴν καὶ ὁ Ἀττικὸς Σοφοκλῆς.*

3) cf. Rogers, Amer. Journ. of Ph. 25 1904 p. 287 A. — contra *βρῦτος· κρίθινος οἶνος* obviam fit iam Triptol. 553, ut apud Aesch. Lycurg. 124 et Archilochum. etiam *Τυρσηνικὴ σάλπιγξ* (Aiac. 17) laudata erat iam ab Aeschylo Eumen. 570, ut ab Eurip. Phoen. 1377 et in Rheso 988. Soph. Inachi 248 v. 4: *Τυρσηνοῖσι Πελασγοῖς* exscripsimus iam supra p. 83_4.

4) *κάνθαρος τῶν Αἰτναίων* adhibetur a Sophocle Daedal. 165, Aesch. Sisyph. Lapid. 233, Aristoph. Pac. 73. addo Soph. *Ὀδ. ἀκανθ.* 419: *νηδὺς ἐλαιάεσσα· Σικελή.*

5) ex Eurip. affero Hipp. 1131: *οὐκέτι συζυγίαν πώλων Ἐνετᾶν ἐπιβάσει* —.

6) cf. Aristoph. Nub. 15—32, 74, 243, 1407; ita Athenae a Sophocle (Oed. Col. 711) praedicantur *εὔιπποι, εὔπωλοι*, et Erichthonius heros Atticus quadrigas primus instituisse ferebatur.

a Libycis instructas et a Graecis receptas esse narravisse (VII 170 et 189) pluris interest. mirum enim sane est, quod Libyes ipsi, quibus quippe peregrinis, nisi Barcam (v. 727) a Cyrenaeis conditam recordaremur Dorium idque Lacedaemoniorum fuisse coloniam[1]), aditum ad Pythia certamina non concederemus, *ζυγωτῶν ἁρμάτων ἐπιστάται* eminentiores fiunt ut duplici numero inducti et primas partes in curruum conflictu agentes quamvis insontes.[2]) ergo Sophocles ut ad Homeri exemplum (Il. Ψ 287 ss.) totum curriculum finxit, ita ad scaenam exornandam sapit ex Hdti narrationibus neque abhorret a temporum perturbatione, quam de ipsis Pythiis a. 582 demum constitutis vituperat Aristoteles (de arte poet. 24).

Satis multa de eis rebus externis. Wittekindi autem dissertationis summa est inquisitio, ut colligat vestigia Iadis, 'quae ut apud omnes tragicos poetas exstant, ita plurima apud Sophoclem. est hic, ut ita dicam, Ionicissimus poetarum' (p. 7). haud quidem ille ignorat consuetudine quadam et amicitia Sophoclem cum Hdto fuisse coniunctum, tamen longe abest, ut credat eam rem hac in quaestione diiudicanda magnum pondus habere; potius ex Homerico usu haud pauca tragicum in sua carmina transtulisse: 'Ionicum autem et poeticum sermonem hic illic arte cohaerere mirum non est, cum dialectus illa a poetis prima culta sit et exercitata' (p. 7). consentaneum profecto est, si poeta in nuntiorum praecipue narrationibus epico utitur sermone. imprimis autem in censum venire mihi videntur ea vocabula, in quibus abusio fit, cum Sophocles[3]) ita utatur quibusdam vocibus, ut per metaphoram significatio fiat, quae a primaria notatione aliena sit. quae inter exempla iudico huic inquisitioni gravissima: *συμβόλαιον*, cui voci apud Atticos notio est 'pactum, commercium', Soph. Phil. 884 adhibet pro *σύμβολον* 'Hdti nimirum auctoritate commotus'[4]); itemque notio verbi *πρόσχημα*, quae plerumque est *πρόφασις ὑπόκρισις*

1) quomodo Kaibel duas decem adversariorum partes aptissime discrevit: eodem modo sibi opposuerim Aenianum et Barcaeos (v. 724—7), Argivum et Atheniensem (v. 731—6).

2) quadrigas autem nec bigas concertare (ut in scholio ad v. 702 *οἷον διζύγων* i. e. duobus iugis iunctis, Schneidew. emend. pro *ἀζύγων* pessime tradito) contra Hermannum certissime comprobat Wunder ad v. 708 s. (ed. II. 1844).

3) 'quo nemo in significationibus mutandis vel novandis audacior fuit', ut profitetur L. Kugler, de Sophoclis quae vocantur abusionibus, diss. 1905.

4) Kugler p. 10, Wittekind p. 22 s.; Hdt. V 92 η: *πιστὸν γάρ οἱ ἦν συμβόλαιον*, etiam Eurip. Ion. 411: *ἅ τε νῷν συμβόλαια πρόσθεν ἦν ἐς παῖδα τὸν σόν*, quae tragoedia sine dubio antecessit Philoctetem a. 409 doctam.

προκάλυμμα (ut Soph. El. 525), El. v. 682 sibi vult 'decus', quod intellegitur ex Hdti verbis V 28: *ἡ Μίλητος — τῆς Ἰωνίης ἦν πρόσχημα* (cf. Kugler p. 8 s.). Kaibel quidem inter utrumque locum discernit eo, quod *'Ἑλλάδος* genetivum partitivum esse negat (ad El. 680), quoniam Olympia nec Pythia clarissima inter Graecos fuerint certamina. atqui isto loco miserrimum herois interitum summo exornare decore tragici intererat: is vero qui, cum posterae aetatis instituta vetustiori tribueret, tempora perturbaverat, ne haec quidem insignia respuere debebat.

Contra idem vir doctissimus tragicum singulis in vocabulis adhibitis pendere censet ex historici scriptis. affero commentarii p. 134 ad v. 409: 'es ist wol kein Zufall, dafs gerade Hdt. besonders oft *ἐκ* für *ὑπό* beim Passiv braucht u. von den Tragikern niemand öfter als sein Freund u. Bewunderer Soph.'. nec vero eam constructionem praesertim Iadis, ut videtur, propriam, si Ionicae dialecti studiosissimus potissimum usurpat, mirandum est, neque apertam suspicor historici auctoritatem.[1])

Atqui talia vocabula inter se comparata tum demum faciunt discrimen, si exstant eo loco, qui alias quoque ob causas putetur pendere ex historico aut similes praebeat condiciones atque exemplar Ionicum. talia iam complura significavimus. similes locos nunc adiciemus, quibus non unum vocabulum, sed verborum contextus decernat.

D. DE VOCE *ΤΡΕΣΑΣ*.

Primum agam de voce *τρέσας* (Oed. Col. 1419):

πῶς γὰρ αὖθις αὖ (coni. *ἂν*) *πάλιν*
στράτευμ' ἄγοιμι ταὐτὸν εἰσάπαξ τρέσας;

quam Classen[2]) contulit cum Hdti de Aristodemo narratione VII 231: *ἀπονοστήσας ἐς Λακεδαίμονα ὁ Ἀριστόδημος ὄνειδός τε εἶχε καὶ ἀτιμίην. — ὄνειδός τε εἶχε ὁ τρέσας Ἀριστόδημος καλεόμενος.* dixerit quispiam huic voci propriam inesse vim ideo, quod ii, qui pugnam supterfugerint et reliquis perditis soli domum reverterint, appellati sint *οἱ τρέσαντες* imprimis apud Lacedaemonios[3]): ab histo-

1) cautius Kaibel comparat: v. 83 *ἀρχηγετεῖν* et Hdt. II 123 *ἀρχηγετεύειν*, 461 *ἀρωγὰ ὑπουργεῖν* et VIII 143 *χρηστὰ ὑπουργεῖν*, 725 *ἐξ ὑποστροφῆς* et IV 129 *ὑποστρεφόμενοι*, 732 *ἀνοκωχεύει* et VI 116 VII 100. 168 nauticae artis vocabulum.

2) Verh. 27. Philol.-Vers. 1869 p. 114.

3) cuius moris testes sunt Tyrtaeus fr. 10_{14}: *τρεσσάντων δ' ἀνδρῶν πᾶσ' ἀπόλωλ' ἀρετή*; Plutarchus Ages. 30: *τοῖς ἐν τῇ μάχῃ καταδειλιάσασιν, οὓς αὐτοὶ τρέσαντας ὀνομάζουσιν*, Lyc. 21: *ψόγοι τῶν τρεσάντων*. cf. Xenoph. rep. Laced. 9_4 s.

rico igitur tragicum esse instructum. atqui iam apud Homerum obviam fit illa fugiendi significatio[1]), quem convenienter secutus est poeta qui vocatur ὁμηρικώτατος. nec magis ignominia notatur a Sophocle recedenti duci tribuenda quam prudens iudicium. neque enim exercitus idem denuo ad bellum profecturus ullam iam habebit fidem ei, qui devotionis timore permotus sit ad revertendum re infecta.[2])

E. DE VOCE *ΜΥΔΡΟΣ*.

Aliud inter tragicum et historicum vinculum significare videtur scholiasta ad Antig. 264: *ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν*. quem versum, cum nuntius, omni culpa ut se liberaret, omnia discrimina subire voluerit, commentator exponit ita, ut exemplum afferat Phocaeensium comparato versu Callimacheo (= fr. 209):

Φωκαέων μέχρις κε μένῃ μέγας εἰν ἅλι μύδρος.[3])

ipse enim Hdtus (I 165) hanc fabulam memoriae prodiderat, qua Phocaeenses e patria migraturi atroces diras imprecantur, si quis ipsorum classem desereret; ad haec ingentem ferri massam (*μύδρον σιδήρεον*) mari demergunt, iurantes non prius Phocaeam se redituros, quam massa illa e mari emersisset. iam intellegimus utriusque loci fundamenta prorsus esse diversa. nam cum apud Hdtum devotio spectet in tempus futurum, Sophocleus nuntius, ut suspicionem Polynice condito sibi conflatam exstinguat, studet, quare *ἕτοιμος ἦν πάσας βασάνους ὑπομένειν πρὸς ἔλεγχον* (in scholiis; i. e. omnia ad explorandum tormenta perferre): scholiasta nimirum haud recte eas condiciones varias confudit. alteram autem partem si Zielinski iure contendit[4]) reum tentari imposito gravi ferri pondere, vocabulum compararit quispiam cum illo Phocaeensium *μύδρῳ* memoria trito. a Sophoclis quidem aequalibus talia quae dicuntur ordalia recordatione tantum comprehensa esse videntur nec vigentia.[5]) ob eam quo-

1) exempla affero ex Iliade *Λ* 745, *Ξ* 522, *Ο* 586, *Χ* 142.

2) vix opus est afferam Schneidewini v. 1418 ss. interpretationem prorsus esse repellendam, accipiendam Wolffii.

3) cui versui addit Schneider: 'Callimachi menti haec dicentis obversabatur historia ab Hdto I 165 narrata'.

4) Wsch. kl. Ph. 1903 p. 895, (ubi recenset Hirzelii librum inscr. der Eid): 'ist denn *μύδροι* durchaus glühendes Eisen? Haben die Phokaeer, deren *μύδροι* (potius apud Hdtum et Callim. *μύδρος*) sprichwörtlich waren, glühendes Eisen ins Meer geworfen? Nein: es ist lediglich eine Lastenprobe, um die es sich handelt'.

5) cum nescio an quid efficiendum sit ex eo, quod adicit schol.: *τοῦτο μέχρι τῆς σήμερον οἱ Ῥωμαῖοι ποιοῦσιν Ἑλληνικῶς πλανώμενοι καὶ ἐν ἄλλοις πλείστοις.*

que rem, quam Kvičala, utrum *αἴρειν* (codd. LA) an *ἔχειν* (superscripsit L[a]) praeferendum sit, disserens (ed. a. 1865) profitetur: ʻim Halten des glühenden Eisens, nicht im bloſsen Aufheben bestand die Probe'[1]), aliquis ratione inversa, quoniam *αἴρειν* melius sit testatum[2]), acceperit tentamen oneris. quod quidem subsequitur: *καὶ πῦρ διέρπειν*, id neutri potius prodest interpretationi, nisi forte certam rationem reperias in eo, quod eodem igni tentantur et pedes et manus. cuius discriminis iudicium nimirum certissimum exspectatur, si *μύδρος* vocabulum quid ipsum sibi velit, constituimus.[3]) quae quidem declaratio a veterum lexicographis scholiastisque plerumque enuntiatur, est *σίδηρος διάπυρος* sive *πεπυρακτωμένος*.[4]) testimonia vero exemplo Sophocleo vetustiora, quae pluris profecto nobis sunt, docent hoc: Aeschylo[5]) *μύδρος* certe est ferrum ignitum. contra Hdtus significare videtur l. l. onus ferri frigidi: videtur dixi, quoniam ad devotionem quam maxime confirmandam massam vel candescentem demersam esse possumus cogitare; hoc quidem contendimus non intellegendum esse ferrum simplex apposito adiectivo *σιδήρεον μύδρον*. praeterea philosophis physicis eisque Atticis trita erat vox ad solis naturam exponentem: clarissima[6]) erat sententia Anaxagorae[7]) *ἥλιον εἶναι μύδρον διάπυρον*.[8]) unde iam concludimus Hdtum non solum Sophocli praebuisse glossam, siquidem erat Ionica eaque eodem sensu

1) A. Frederking, Beitr. z. Krit. u. Exeg. d. soph. Ant. progr. 1893 p. 7 condicione nititur falsa.

2) idem vult scholiastae *μύδρους βαστάζειν*.

3) de etymo nihil profertur firmi, cf. L. Meyer, Hb. d. griech. Etym. IV 1902 p. 228, 330.

4) velut schol. ad Aesch. Prom. 382, Soph. Antig. 264, Callim. hymn. Dianae 49, Nicandri Al. 50; Tzetz. Lycophr. 272; Hesych. v. *σμύδρος* et *μύδρος*, ubi antecedunt verba *ἀργὸς σίδηρος* et *κραταιὸς λίθος*, additur poni etiam *ἐπὶ τοῦ ἀναισθήτου* (i. e. nullum sensum admittens sive ferreus). H. Blümner (Technologie u. Terminol. d. Gewerbe u. Künste bei Gr. u. R. IV 1887 p. 219) rem exponit sic: ʻdie glühende Masse, zu welcher die Eisenerze im Feuer zusammenbacken, — heißt *μύδρος* (— est ist daher auch der vom Schmied glühend gemachte Eisenklumpen), massa'.

5) Prom. 382 ss.: *μυδροκτυπεῖ Ἥφαιστος, ἔνθεν ἐκραγήσονταί ποτε ποταμοὶ πυρός* — et fr. 307_1: *σφύρας δέχεσθαι κἀπιχαλκεύειν μύδρους*.

6) ut probant epigr. apud Diog. L. II 15 (= Diels FVS p. 295_{10}) et Harpocr. v. *Ἀναξαγόρας· οὗτός ἐστιν ὁ τὸν ἥλιον μύδρον εἰπὼν διάπυρον*.

7) ipse Clazomeneus Athenis versatus est inde ab a. fere 460 in familiaritate Periclis.

8) diversis locis, cf. indicem FVS II 2 v. *μύδρος* et *μύλος*. eandem magistri sententiam professi sunt (Eurip. Phaeth. fr. 783: *χρυσέα βῶλος* h. e. massa glebae auri modo fulgens. cf. fr. 771 et Or. 982 ss.) Critias Archelaus Democritus.

ferri candescentis praedita; nequaquam enim obstat adiectivum *διάπυρον*, ne *μύδρον* accipiamus massam ignitam. nam[1]) ipsum verbum plerumque additum[2]), quae propria voci insit natura, demonstrat.[3]) quare una tantum illo aevo vocabuli *μύδρος* significatio probatur neque historico debet tragicus vocis haud inusitatae aut cognitionem aut usum superstitiosum.

F. DE LABDACIDARUM SERIE.

In extremo disseram de quibusdam nominibus propriis ad gentis ordinem significandum coniunctis. ratione enim simillima historicus usurpat seriem heroum Thebanorum (V 59): *κατὰ Λάιον τὸν Λαβδάκου τοῦ Πολυδώρου τοῦ Κάδμου*, qua tragicus (Oed. R. 267 s.):

τῷ Λαβδακείῳ παιδὶ Πολυδώρου τε καὶ
τοῦ πρόσθε Κάδμου τοῦ πάλαι τ' Ἀγήνορος.

atque quamquam talis maiorum collatio per se non habet cur miremur,[4]) tamen id videtur memoria dignum, quod nomina exhibentur ab utroque prorsus eadem. sed alterum alteri subduxisse istam seriem ea tantum condicione concludendum est, si ipsa illa nomina aut plerisque fuissent ignota aut non constitissent inter omnes aut si alterutro loco probarentur extrinsecus arcessita nec in verborum contextu inhaerentia. ac primum Sophoclis versus si contemplamur, integritate eorum addubitata secundum Hdti nimirum exemplum credita est interpolatio a Burges (Soph. Philoct. ed. 1832 v. 312). quod cum iam mirum sane sit, si quis falsarius ex ipso Hdto sumpserit eum heroum ordinem omnibus notissimum, quem sua sponte auxerit Agenoris nomine generis auctoris, ex altera parte abiudicatur ab eo graece loquendi facultas, cui crimini datur proavos coniungere *τε καί* particulis.[5]) atqui[6]) illorum heroum enumerationi magna inest auctoritas, qua

1) ut lingua vernacula utimur 'der glühende Sonnenball' aequa abundantia.

2) etiam Aristot. de mundo IV 25.

3) gravissima autem verba sunt Olympiodori (FVS p. 298_4): *μόνα δὲ τὰ ἄστρα πυρώδη εἰσίν, ὡς καὶ τὸν Ἀναξαγόραν μύδρον καλέσαι τὸν ἥλιον διὰ τὸ ἄμετρον τῆς πυρώσεως· μύδρος γάρ ἐστιν πεπυρακτωμένος σίδηρος.*

4) apud ipsum Hdtum alia quoque exstant exempla, laudo imprimis VI 147 et VII 11, ubi quattuor Polyniceae gentis stirpes et novem Achaemenidarum genera eodem modo citantur.

5) cf. Nauckium ad v. 261; hanc vero coniunctionem movit nominum propriorum impedimentum.

6) ut non disputemus de versuum contextu diversis modis permutato, velut a Ribbeckio (Rh. M. 13 p. 129—32; über d. Rede d. Königs Oedi-

praedicetur origo illustrissima regis ad id inulti: quo magis Oedipodem impellunt ad caedem investigandam proavi, quos is 'als ebenso viele Rachegeister gleichsam heraufbeschwört und übereinander auftürmt' (Ribbeck, l. l.).

Nec minoris aestimo verba Hdti, qui cum exhibeat *Καδμήια γράμματα ἐπὶ τρίποσι τρισὶ ἐγκεκολαμμένα*[1]), aetatem eorum definit per spatium, quo distent ab ipso Cadmo: *ταῦτα ἡλικίην ἂν εἴη κατὰ Λάιον* —. item alteri tripodi adicit: *ἡλικίην κατὰ Οἰδίπουν τὸν Λαΐου.* tertio: *ἐπὶ Λαοδάμαντος τοῦ Ἐτεοκλέος.*

Itaque utrumque locum sui iuris esse iudicamus. neque ex eo ullum imitationis argumentum peti potest, quod eodem capite afferuntur *τὰ φοινίκια,* quae Sophocles sine dubio debuit Hdto scriptori Ionico; quoniam plerumque non ex libris historici conscriptis, sed e memoria fabularum per colloquium proditarum tragicus tales res haurire solebat.

VI. CONCLUSIO.

Iam si oculos retro vertimus ad viam, quam percucurrimus stilo modo tardiore modo festinantiore, quam brevissime concludamus liceat ea, quae assecuti esse nobis videmur. namque de ea ratione, qua alter ex altero pendeat, hoc fere potest constitui: poetae quoddam argumentum traditum erat a prioribus, qui eidem materiae operam navaverant; et in Hdti libris simile aliquid nabarratur, aut potius ex historici recitationibus vel narrationibus privatis tragicus memoriam tenebat fabularum in eodem fundamento positarum[2]): has igitur designat maiore aut minore perspicuitate; ita ipse poeta se suam sententiam aliunde prompsisse diserte profitetur, cum audientium animos abripit ad alia suarum condicionum exempla. velut dicit El. 62: *ἤδη γὰρ εἶδον πολλάκις* — et Oed. Reg. 981: *πολλοὶ γὰρ ἤδη* — et Trach. 1: *λόγος μὲν ἔστ' ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανείς.* immo omni evidentia perducimur ad fontem historicum, si populi cuiusdam nomen affertur tamquam alicuius moris exemplum; velut Oed. Col. 337 s.:

pus 1861; epikrit. Bemerk. zur Königsrede im Oid. Tyr. 1870), B. Todt (Zsch. f. Gymn.-Wes. 1867 p. 221), Herwerden. contra Bellermann (Oed. R. ed.[3] 1889 p. 160 ad v. 246—51) consistit in tradito versuum ordine.

1) quibus de epigrammatis disseruit Th. Praeger, de epigr. graecis, diss. 1889 p. 137.

2) ut afferam Classeni verba dicentis (p. 111): 'die Stellen sind meistens von der Art, daß allgemein menschliche Bezüge durch die Hinweisung auf fern abliegende Verhältnisse zu einer größeren Anschaulichkeit gebracht sind'.

ὦ πάντ' ἐκείνω τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ νόμοις φύσιν κατεικασθέντε καὶ βίου τροφάς. et frg. 432: Σκυθιστὶ χειρόμακτρον ἐκδεδαρμένος h. e. more Scytharum. aliis quidem locis Sophoclem pressisse vestigia historici non aperte significatur, sed ex ipsa re satis clare elucet.

De temporum vero ordine, quibus Hdti in Sophoclis tragoediis vestigia cognoscuntur, haec fere constituimus: maximi momenti est, quod iam in Aiacis prologum historici auctoritas, licet oblata esset recitationibus τοῦ πρώτου λόγου Λυδικοῦ publicis aut privatis, valuisse videtur.[1]) contra ad Antigonae versus componendos (a. 442 sive ineunte 441) tragicus in manibus habuit illam libri tertii (λόγου Περσικοῦ) historiam litteris mandatam. deinde in Electra et Oed. Reg. tragoediis compluries narrationes historici redintegratae sunt. comparo: El. vv. 59—64: Hdt. IV 14, 95; 417—23: I 108; 445 (= fr. 432): IV 64; 702: IV 189. Oed. R. 387: III 61 ss.; 981—2: VI 107; 1528—30: I 32; cum dubio 25 ss.: III 65. quod quidem poeta videtur memoriam repetere somnii Hippiae, ex eo solo concludi non potest iam tum temporis librum VI. in volgus esse editum. prorsus vero oppugno opinionem eorum, qui censeant[2]) Electram fabulam tum demum esse actam, cum cuncti libri Hdtei ad finem perducti et in lucem fuissent editi. huic aetati, qua Hdtus plurimum valebat in poetam, etiam Ἀλέξανδρος et Τυρώ tragoediae tribuendae sunt. insequentia dramata: Trachin. et Philoct. magis iterum carent vestigiis, cum aevo postremo Oed. Col. unum certissimum praebeat testimonium e libro II. petitum. neque vero hac re confirmari crediderim eas rationes, quibus illa altera Oedipodis tragoedia tribuatur belli Peloponnesiaci aetati iam ineunti.

Sed unam rem addere mihi liceat: quoniam enim complures viri docti[3]) Hdtum libros septimum octavum nonum composuisse censent primos, quid quod ex his libris nulla fere exempla invenimus a Sophocle translata? hic valet alia ratio: namque his ultimis historiis tractantur res a Graecis in continenti habitantibus gestae. ea autem bella Medorum ut commemoraret, haud indigebat tragicus amici auctoritate; et quae sub omnium paene oculis paulo ante confecta et clarissima historiae luce erant illustrata, non facile offerebant miras quasdam res aut dignas, quae redderentur fama fabulosa. nihil igitur de aetate, qua illa operis historici pars extrema sit composita, inde efficitur.

1) cf. ea quae supra diximus p. 66 adn. 8.

2) velut Christ-Schmid, Gr. Lit. I [6] 315.

3) recentissimi, ni fallor, R. W. Macan (Hdtus books 7—9 1908 p. 45 ss.) et Sitzler (Burs. ann. 147 1910 p. 80 s.).

Ad finem perveni huius dissertationis. qua num quid profecerim ad rationes, quae inter Sophoclem et Herodotum exstare videantur, rectius aestimandas, cum aliorum, quos penes res posita est, commendo iudicio, tum tuo, qui ipse, PATER CARISSIME, interfuisti illi philologorum conventui a. 1869, cum Classen vir doctissimus materiam exposuit eandem, quam nunc retractavit filius tuus adiutus recentiorum inquisitionibus multifariis. quare tibi volui sacras esse has animi antiquitatis studiosi primitias.

TABULA LOCORUM.

in Aeschyli numeris adhibui edit. Wecklenii 1891; tragic. fragm. edit. II. Nauckii 1889.

DE SENTENTIIS, QUAE INDE AB ANNO 1888 PROLATAE SUNT DE SOPH. ANTIG. vv. 905ss.

qui viri hos versus censuerint:	genuinos	interpolatos
C. Cristofolini, sopra un passo controverso nell' Antigone di Sofocle. *progr.* (52 p.) cum uberrimo librorum indice. [*rec.*: Zsch. f. österr. Gymn. 41 p. 561—2]	1888	
R. C. Jebb: Sophocles III. the Antigone: *v. s. p. 96*, 3	1888	
U. v. Wilamowitz-M., Eurip. Herakles p. 81_{57}	1889	
Baier, Soph. u. Hdt. (Ber. d. fr. Hochst. Frankf. a. M. NF VII 264—5).		1891
E. Schwartz, quaestt. Ionicae (Ind. lect. Rost.) p 11: *v. s. p. 94, 4.*	1891	
I. van Leeuwen, Mnemos. NS 20 p. 229—31	1892	
S. A. Naber, Mnemos. 21 p. 224		1893
Beloch, griech. Gesch. I 13_1; contra Busolt, griech. Gesch. II[2] (1895) p. 610 dubitat.		1893
Pischel, Herm. 28 p. 465—8 et Th. Noeldeke, Herm. 29 p. 155—6: *v. s. p. 95, 2.*	1893 —94	
Henri Weil, Rev. d. Ét. gr. 7 p. 261—6 [= Ét. sur l'ant. gr. 1900, *rec.*: Berl. ph. W. 20 p. 1605]: *v. s. p. 95, 4.*	1894	
A. Hauvette, Hérodote historien des guerres médiques p. 39		1894
Paul Cauer, Grundfr. d. Homerkr. p. 254s. ([2]1909 p. 380): *v. s. p. 96.*	1895	
H. Macnaghten, Journ. of Phil. 24 p. 171—7: *v. s. p. 96*, 4		1896
J. Wassmer, Jb. f. Philol. 155 p. 701—4: *v. s. p. 95, 1.*	1897	
G. Kaibel, de Sophoclis Antigona (progr. Univ. Gotting.): '*non deis offensis opitulantem poeta finxit Antigonam, sed suae gentis* (scil. Labdacidarum) *suique fratris iura ab novicii regis usurpatione defendentem*'; *v. s. p. 96.*	1897	
quae *Kaibelii* sententia *refutatur* ab his viris doctis:		
Ad. Müller, Deutsche Literaturzeitung 19 p. 589—91.		1898
Bassi, Riv. di filol. 27 p. 328s.		1898
J. Szczepanski, cui denuo *resistit* S. Bednarski, Eos X 1904 p. 177—8.		1900
Ew. Bruhn, N. Jb. 1 p. 248—62 et ed. Antig.[10] 1904 exc. II p. 34ss. (*dubitaverat*: Fleck. Jahrb. suppl. 15 1887 p. 311, 62).	1898	
P. Corssen, die Antig. des Soph. *progr.* p. 1—5, 36		1898
cui *obloquuntur*: H. Jurenka, Zsch. öst. Gymn. 50 p. 17; H. Morsch, Wsch. kl. Ph. 16 p. 1395; K. Frey, Neue phil. Rundschau 1899 p. 81.	1898	

qui viri hos versus censuerint:	genuinos	interpolatos
S. Reiter, die Abschiedsrede der Antigone (Zsch. österr. Gymn. 49 p. 961—80)	1898	
cui *assentitur*: H. Morsch, Wsch. kl. Phil. 16 p. 1363—4	1899	
adversantur: G. H. Müller, N. ph. Rsch. 1899 p. 267—8		1899
et N. Wecklein, Berl. ph. Wsch. 19 p. 833—5, 897—9		1899
(consentiens cum *Corssenio*); item Antig. ed. II 1885 ma-		1885
gisque III 1890 (obstare vocem ὡς τάχιστα v. 885)		891-932
cf. Art. Soph. emendandi p. 162 ss. [*cautius* Bayr. Bl. f.		1869
G. 40 (1904) p. 374]		905-13
Th. Plüss, Goethe und Antigone (N. Jb. 1 p. 475): '*das Original ist inhaltlich und logisch und sprachlich wie zum Zweck der Persiflage entstellt*'.	1898	
Margrander, Proc. Am. Phil. Ass. 29 p. 62—5: proficiscitur a vv. 904 et 908.	1898	
A. Maas, Frankf. Ztg. 1899 no. 201 (cf. W. kl. Ph. 16 p. 964)	1899	
Ed. Meyer, Geschichte des Altertums IV 127	1901	
H. Stein, ed. Hdti^5 prol. p. 25 et ad III 119: testem advocat *Kernium* (Kl. Schr. II 88—109)		1901
N. P. Vlachos, the subject of Soph. Antig. *diss.* p. 5 s., 37—46 (*rec.*: W. kl. Ph. 1902 p. 609—11)	1901	
J. Sitzler, Burs. Jahresb. 117 p. 107 et Gymnasium 21 p. 741 (contra *Reiterum*)		1903
W. Schmid, Philolog. 62 p. 28—31; cf. Christ-Schmid,		1903
griech. Lit. I^5 1908 p. 297_1. 313_1		905-28
N. Festa, Atene e Roma 6: post v. 907 ponit signum interrogationis	1903	
Joh. Geffcken, das griech. Drama. p. 73 s.: '*für jeden, der die Hdtstelle nicht kennt, ist Antigones Wort nicht eigentlich unlogisch*'.	1904	
Nic. Schneider, quaestiones Sophocleae. *diss.* p. 5—26.	1904	905-7
M. Wohlrab, aesth. Erklärung v. Soph. Ant.: '*als Selbstgespräch aufzufassen*'; *v. s. p. 95, 5.*	1904	
J. Moeller, Ehrengabe der Latina f. W. Fries p. 78—91: gravitatem praedicat, quam veteres tribuerint fratrum sororumque caritati naturaliter innatae.	1906	
F. Leo, der Monolog im Drama (Abh. Gött. Ak. 1908 p. 10) '*an den Bruder. — spezifisch sophokleisch*'; *v. s. p. 95, 5.*	1908	
Gu. Dopheide, de Sophoclis arte dramatica. *diss.* p. 57—61.	1910	
E. Wolf, Sentenz u. Refl. b. Soph. 1910: *non inspexi.*		
H. Deckinger, Darstellung der persönl. Motive bei Aisch. u. Soph. p. 85.		1911
W. Nestle, Philol. 70 p. 250: '*bei Hdt wie bei Soph. fehlen grade die scharfen begrifflichen Bezeichnungen* (sc. notiones affinitatis et cognationis sibi oppositae), *die ein Sophist gewiß nicht unterdrückt hätte*'.	1911	
A. Patin, aesth.-krit. Studien zu Soph.		1911
cui *obloquitur* F. Bucherer, Berl. ph. W. 32 p. 1404—5	1912	

[eorum, qui nullis argumentis appositis versus illos nude ponunt aut genuinos aut interpolatos, clarissima tantum nomina exhibui.]

Rasch, Ioannes
Sophocles quid debeat Herodoto in rebus ad fabulas exornandas adhibitis